This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Phil. 371

Phil 371

UNIVERSIT

Digitized by Google

24 l. 371

Per. 371

UNIVERSIT

Digitized by Google

Digitized by Google

BARTOLDI NIHVSII

FACVLA,

IN

CONRADI HORNEII

gratiam accenſa,

Ambulantis in nocte illic ubi diſputat pro Ariſtotele

DE MODALIBVS.

Eſtque ea ſimul APOLOGETICI contra Andabatam Helmſtetenſem.

ELVCIDATIO PRIMA.

Traduntur hic multa, ab aliis Logicis non tradita, de forma Enuntiationum & Syllogiſmorum Simplicium.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOHANNEM KINCKIVM,
M DC XLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACVLA hæc neque contra Fidem eſt, neque contra bonos mores. Quare ut eam typographus in publicum proferat, permitto. Coloniæ, 6 Iunij 1641.

Henricus Francken Sierſtorpffius, S S. Theolog. Doctor, Metropolitanæ & S. Cæciliæ Eccleſiarum Colon. Presbyter, Canonicus; Gymnaſii Laurent. Regens; librorum Cenſor.

[illegible]

Digitized by Google

FACVLA hæc neque contra Fidem eſt, neque contra bonos mores. Quare ut eam typographus in publicum proferat, permitto. Coloniæ, 6 Iunij 1641.

Henricus Francken Sierſtorpffius, S S. Theolog. Doctor, Metropolitanæ & S. Cæciliæ Eccleſiarum Colon. Presbyter, Canonicus; Gymnaſii Laurent. Regens; librorum Cenſor.

A 4 LECTO-

Digitized by Google

LECTORI.

POtuiſſem & magis munire hîc pluribusve explicare noſtra, & contraria inſuper non pauca, quæ intacta præterii, diluere. Sed quia nonnullis paradoxorum parens forſan videbor, dum aliter pleraque propono, quàm faciunt in ſcholis: datâ operâ parcus verborum hîc quidem eſſe volui. Neque mens mihi fuit, niſi meum judicium & aperire & expendendum permittere eruditis, quibus animus tranquillus & ſincerus. Quod meum judicium ſi cui videbitur opinionibus aliter ſentientium recentius, nihil hoc refert. Adverſus fidem Catholicam, quæ ſola antiqua præ Chriſtianorum ſectis ei ſe opponentibus, aut leges etiam honeſtas, in republica receptas, tale quid non licere, at verò in ejuſmodi rebus logicis omnino licere, certus ego ſum. Et verò, ſi diſputandum etiam ſit, Reſpondens eſſe tantùm velim: quibuscunque tandem libitum fuerit ſuſcipere in ſe partes Opponentis. Qui, ſi non ſtatim, ſaltem cum tempore in meas concedent ſententias: ut ſpero. Cæteroqui, ſi quis poſtulaverit, prolixiùs etiam perſequar lubens omnia. Quanquam optem, non ſolùm id poſtuletur, ſed & ſimul deſignentur ea quæ requirere explicationem potiſſimum videbuntur. Ita tunc enim acu rem tangere ſeu aliorum captui me accommodare tanto certiùs potero. Fallant otium alii parergis aliis. Mihi, quum ab occupationibus, viro eccleſiaſtico dignis, vacare datur, volupe admodum eſt, in Dei honorem & meos proximique uſus, verſare nonnunquam res logicas: quippe memori, creatum me à Deo animal λογικόν.

FACV-

FACVLA.

IN meo contra Andabatam Helmſtetenſem Apologetico, qui Anno 1640 editus, facta eſt obiter Horneji mentio, refragati mihi in negotio quodam logico. Sciſcitantur nonnulli, quid id rei ſit. Dicam. Anno 1617, Ienæ degens, Commentariolum evulgavi de Modalibus, ut vocant; non ſectatus Ariſtotelem, ſed viam ingreſſus, mihi viſam & faciliorem & meliorem. Et adplaudebatur mox quidem publicè à Conrado Horneio; ut Scheiblerum aliosque taceam, eos præſertim, qui ſequuntur non nihil me, licet meum nomen diſſimulantes; in quibus Ioannes Scharfius Witebergæ, & plures alibi. Sed Horneius, mutata dein mente, pro Ariſtotele contra me ſcripſit, rejiciens, quod ante laudaverat. Acquieſcerem; imò gratias haberem; ſi meam ſententiam ipſam erroris revera conviciſſet. Hoc autem non fecit.

Apologet. cap. 5. num. 8.

Horn. Inſtitut. log. lib. 3. q. 39, 40, 41, & 42. nec non lib. 4. q. 11, 12, 13, & 14.

2. Enuntiationes, inquam, Simplices in ſchola Ariſtotelis fruſtra ſubdividuntur in Abſolutas & Modales: quia Modalium, quas vocitant, forma, & ratio ubique, non eſt alia quàm Simplicium cæterarum. Hæc mea mens, ſicuti fuit, ita etiamnum eſt; & à me explicabitur mox atque præmiſero mearum Obſervationum nonnihil de Enuntiationibus & Syllogiſmis, Abſolutis dici ſolitis, quando nempe Modalibus contradiſtinguuntur.

3. Rejiciendas autem è numero Abſolutarum iſtarum cenſeo omnes eas quæ, formam quidem habentes grammaticam, ſed non logicam, intractabiles inde ſunt in officinâ, ut ſic dicam, logicâ, ubi inſtituenda oppoſitio, aut illatio. Tales ſunt Exponibiles; licet videri queant ejuſdem eſſe indolis cum Abſolutis iſtiuſmodi: ideoque logicus rectè eas ibi repudiat, utiturque ſolis Simplicibus, quæ in illis implicitè continentur. Sicuti in illatione hac, *Quicunque ſalvantur, ſunt creati à Deo, Soli electi ſalvantur, Ergo ſoli electi ſunt creati à Deo.* Mi-

Digitized by Google

norem rejicit omni merito; quod Enuntiatio Simpl
non ſit; verùm impliciite duplex; quippe reſolubilis
duas haſce, *Electi ſalvantur*, (unde rectè tunc ſequitu
Ergo electi ſunt creati à Deo.) &, *Qui non ſunt electi, n*
ſalvantur, (unde tunc non ſequitur, *Ergo qui non ſu*
electi, non ſunt creati à Deo; quia Syllogiſmus hic in fo
ma vitioſus.) Taceo alia, Converſionem earum, im
& Oppoſitionem concernentia.

4. Solam item formam grammaticam & non logi
cam habent illæ, ubi copula pluralis numeri, vel prim
ſecundæve perſonæ, vel non præſentis temporis; ite
ubi termini ſunt obliqui, aut pluralis numeri, aut quo
que primæ ſecundæve perſonæ; denique ubi copula, a
termini, etiam quoad ſui partes, non ſtant ſuis locis
Unde & informes hæ apud logicum, ſive intractabile
quum inſtituenda oppoſitio aut ratiocinatio evidens
Nam, *Mentiri non eſt viri boni, Tædet animam vitæ me*
& ſimiles, ubi termini obliqui & verbum imperſonale
quis convertat, aut uſurpet in illatione formali ulla?
Certè formalis hic non eſt ſyllogiſmus, *Mentiri non eſ*
viri boni, Tu mentiris, Ergo non es vir bonus. Quis ite
dicat, hanc, quæ pluralis numeri eſt & falſa, *Quidam*
planetæ ſunt ſoles, formaliter contradicere iſti, itide
falſæ, *Nulli planetæ ſunt ſoles?* (Horneius ait, contradic
Ibid. lib. 3. 9. 30. debere priori iſti particulari ſic, *Non quidam planetæ*
ſunt ſoles; ſed intricatam ſic reddit æquipollentiarum
doctrinam, à ſe quoque perinde ac ab aliis traditam;
nec enim, ſicuti ibi iſta, *Non quidam planeta eſt ſol*,
æquivalet huic, *Nullus planeta eſt ſol*, ita æquivalent &
hæ duæ, *Non quidam planetæ ſunt ſoles*, &, *Nulli planetæ*
ſunt ſoles; quum videlicet prior harum ſit vera, poſte-
rior falſa. Ita, juxta Horneium, deberent & hæ eſſe con-
tradictoriæ, *Nulli planetæ ſunt ſoles*, *Non nulli planetæ*
ſunt ſoles: at verò poſterior hæc aut æquipollet iſti,
Quidam planetæ ſunt ſoles, & ſic falſa pariter eſt; aut,
non æquipollet, inſufficienter ab ipſo tractatum erit ca
put de Æquipollentiis.) Quis item ſyllogiſmos pro-
priè formales eſſe cenſeat, quamdiu copula ac termin
ſunt pluralis numeri; quum in prima figura (quæ figu-
rarum cæterarum norma eſt,) ſingularis numeri eſſ
debeat

debeat ſubjectum Majoris, (ex quo nempe Dictum *de omni*, non *de omnibus*, appellari ſolet,) & conſequenter etiam prædicatum Minoris; ubi autem terminorum alter ſingularis numeri eſt, ibi utrumque, unà cum copula, ejuſdem numeri eſſe neceſſum ſit? Quis item convertat haſce, ubi & copula & termini, tum pluralis numeri ſunt, tum primæ ac ſecundæ perſonæ, *Omnes nos ſumus peccatores, Omnes vos moriemini*; vel quoque iſtas, licet ſingularis numeri, tamen primæ ſecundæque perſonæ, *Ego dormio, Tu vigilas?* Quis item haſce, *Quoddam acetum fuit vinum. Quidam puer erit ſenex*, (ubi verbum ſubſtantivum temporis præteriti & futuri,) convertat, niſi erutâ expliciteque poſitâ voculâ *eſt?* Quis denique, ſaltem monitus, non videat, alieno loco poſitas partes Majoris in hoc argumento, *Quod ego ſum, tu non es, Ego ſum homo, Ergo tu non es homo*; nempe quia ibi ſubjectum *Tu*, copula verò cum prædicato, *non es id quod ego ſum*; & ſic nullam eſſe formam ſyllogiſticam; ideoque non rectè ſolvi ſophiſma hoc à Danhauero, reſpondente id unicum, *quid mutari in quale, & quale in quid*; ſicuti neque ab aliis, dicentibus, primæ figuræ ſyllogiſmum eſſe, ſed Majorem non univerſaliter veram; quod ſi verò hanc ita enunties, *Ego ſum id quod tu non es*, atque ibi ſubſumas, *Ego ſum homo*, inferendum eſſe, more in tertia figura conſueto, *Ergo quoddam quod eſt homo, eſt id quod tu non es?* Mitto plura.

Danhau. Idea boni diſput. ſect. 2. num. 20.

5. Quænam igitur forma Enuntiationum Simplicium logica, ſeu apud logicum accuratum artificialis? Vbi copula & indicativi modi, & præſentis temporis, & ſingularis numeri, & tertiæ perſonæ; terminus vero uterque, ſaltem formali parte ſui initiali, & rectus, & ſingularis itidem numeri, & neutrius generis: omnia denique & explicite & ordine debito collocata. Per copulam intelligo, in Latino quidem ſermone, unicum illud verbulum *eſt*, cum locum inter terminos medium tenet; ubi & explicitè debet eſſe poſitum. Terminus verò uterque, & ſubjectum inquam & prædicatum, eſt quaſienuntiatio mihi, (quod ſpeciem Enuntiationis imperfectam quandam præ ſe ferat,) conſtans ex formali & materiali. Formam logicam termino dant hæ

tres voculæ, *aliquid quod eſt*; materia eſt, verbi gratia, *animal*, vel aliud quid; ſive hoc una itidem vox ſit, ſive plures. *Aliquid* eſt mihi quaſiſignum termini, ceu quaſienuntiationis: *quod*, ejuſdem quaſiſubjectum: *eſt*, non copula ibi ſed quaſicopula, (vocant alii copulam minus principalem, alii copulam implicationis,) quam non neceſſum eſt efferri ſemper explicitè. Porro copula Enuntiationis ipſius debet ſemper eſſe nudè poſita, ſeu affirmans; neque enim negare nexum terminorum poteſt ullo modo; alioqui tunc deſineret eſſe enuntiatio; ſed ſaltem prædicatum negatur interdum de ſubjecto; fitque idipſum, negatâ ſolùm prædicati quaſicopulâ: unde non hæc, *Homo non eſt lapis*, ſed iſta, *Homo eſt aliquid quod non eſt lapis*, quoad copulam & prædicatum, formata logicè: & ſic non datur ulla Enuntiatio Simplex, ritè formata, niſi affirmans; licet prædicatum, imò & ſubjectum, ſit multoties negans. Atque ita ſe habet qualitas & terminorum, & enuntiationum ſimplicium ipſarum, quarum ſunt termini. Quantitas itidem hîc alia terminorum eſt, alia totius enuntiationis. Terminus uterque particularis eſt in hac, *Aliquid quod eſt* (vel *non eſt*) *homo, eſt aliquid quod eſt* (vel *non eſt*) *animal*. *Aliquid* enim hîc non ſumo, ut ſumi ſolet à metaphyſicis, ſed ut à logico, pro *quoddam* vel *id*; quo tamen poſteriore pronomine, utentibus aliis, non libentiſſimè utor ego; quia, cum demonſtrativum ſit, accipi poſſet determinatè, ac ſi terminum faceret ſingularem; quaſiſignum autem, quod & initialis pars termini, & ſemper efferendum in caſu recto, (quicquid ſit de partibus ibidem poſterioribus,) debet eſſe in ſe particulare, ſeu indeterminatum. Ex particulari dein termino fit ſingularis, quum pronomen demonſtrativum *hoc*, vel ſimile quid, inſuper præfigitur, non toti quidem termino, ſed ejus quaſiprædicato, ut hîc, *Aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod eſt hoc animal*: ecce, terminus ibi uterque eſt ſingularis. Ex particulari autem termino fit univerſalis, præfixâ ei voce *Omne*; quam ſolam ego ſignum tunc voco, quia non ſic intrinſecam tunc termino, ut ſunt quæ dixi quaſiſigna, (alia quippe res eſt, quum non ſignat totum terminum, ſed ibi pertinet ad quaſiprædicatum hujuſve

partem,

Digitized by Google

partem, ut hîc, *Quicunque aptus tractare omne genus armorum, dignus eſt omni laude,*) & *Omne* quidem iſtud malo, quàm *Quicquid* aut *Quodcunque*; nempe quia hæc pronomina implicitè continent in ſe voces haſce tres, *Omne aliquid quod*: quas præſtat expreſsè pronunciatas eſſe. Interdum verò terminus eſt ſimul & ſingularis & univerſalis, ut, *Omne aliquid quod eſt hic homo*; quem vocabimus nos ſingularuniverſalem. Quantitas autem, quæ non termini ſed enuntiationis totius eſt, deſumitur à quantitate, non prædicati, ſed ſolum ſubjecti. Et ſic à ſubjecto quidem particulari eſt enuntiatio particularis, (quæ vocari poſſet ſingularis indeterminata;) à ſingulari ſingularis, (quam annon contra vocare licèret ſingularem determinatam?) ab univerſali univerſalis, atque à ſingulari ſimul & univerſali ſingularuniverſalis: indefinitam non adnumero, utpote quam dico non eſſe formatam logicè ſed ſolùm grammaticè, quia imperfectam. Indeque jam formaliter & affirmantes & univerſales ſunt hæ, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt animal*; idque, licet prior ſolum prædicati affirmati, poſterior autem negati; negatio enim prædicati non mutat magis qualitatem enuntiationis ipſius, quàm negatio ſubjecti, ſi ſubjectum foret negans, puta hoc modo, *Omne aliquid quod non eſt homo*. Deme jam utrobique *Omne*; & erit utraque affirmans particularis. Pone tunc & pronomen *hoc*, vel *hic*, vel ſimile quidpiam, ante ſubjecti quaſiprædicatum, ut, *Aliquid quod eſt hic homo*; & erit utraque ſingularis. Præfige iterum ibi *Omne*; & erit utraque ſingularuniverſalis. Non itaque formaliter affirmans univerſalis hæc, *Omnis homo eſt animal*, aut particularis illa, *Quidam homo eſt animal*, aut ſingularis iſta, *Hic homo eſt animal*; neque formaliter negans univerſalis hæc, *Nullus homo eſt animal*, aut particularis illa, *Quidam homo non eſt animal*, aut ſingularis iſta, *Hic homo non eſt animal*: ſed uterque terminus efferendus in omnibus, non ſolum quoad materiale, ſed & quoad voculas omnes, formam apertè exprimentes; & ſigillatim deinde negativæ ſic formandæ, ut fiant affirmativæ negatum habentes prædicatum,

prout nempe diximus: præſertim verò nunquam præfigenda univerſalibus vox *Nullus*; ut quæ enuntiationis formam obſcurat; quum ſit idem quod *Non ullus* ſive *Non aliquis*, & verò locus, iſti *non* proprius, ſit poſt copulam, imò poſt prædicati quaſiſignum & quaſiſubjectum ante ejuſdem quaſicopulam, ſicut vidimus; licet, ſimul negando ſubjecti particularitatem, efficiat univerſalitatem: magis autem clara ac diſtincta res eſt, ſi pro *Nullus* ponatur *Omne*, & negatio occupet ſolum alterum, quem diximus, locum. Non urgeo quidem, ut hæc omnia ita fiant ſemper; brevitatis enim ergo vulgaris illa forma uſurpari multoties poteſt: ſed hoc ſolummodo volo, ſi forma, quam ego dixi eſſe demum logicam, obſervetur, normam eam eſſe, ad tollendum obſcuritates ac difficultates omnes, à forma ante non logicè expreſsâ oriundas, haud utilem tantum ſcitu, ſed & neceſſariam. Quòd diſertè moneo; ne quis imaginetur ſibi facilè, quaſi ea, de quibus loquor, minutiæ ſolum ludicræ ſint, ſeu otioſi ingenii commenta futilia. Sanè, cum prædicatum de ſubjecto negatur, copulam tunc ipſam debere eſſe affirmantem, non ſolum ex ante dictis patet, ſed & videre eſt in ſyllogiſmis, quos infinitos vulgo nominant, & converſione per contrapoſitionem; neque verò prædicatum logicè negatum iſtud, *non animal*, ſed hoc demum, *aliquid quod non eſt animal*. Prædicatum verò negans ſi ita efferri oportet, quidni affirmatum idem efferendum pari modo ſit, omiſsâ ſolum vocula *non*? Et, ſi prædicatum, quidni & ſubjectum? Sed, experientia ſubinde accedente, liquebit ea res adhuc magis; quoad ſubjectum quidem, ex Majore ſyllogiſmi primæ figuræ; quoad utrumque verò terminum, tum è converſione, tum è ſyllogiſmis, ubi, quod eſt ſubjectum, dein fit prædicatum, ſicut medium in prima, & extremum majus in ſecunda; vel, quod eſt prædicatum, poſtea fit ſubjectum, ut extremum minus in tertia. Occurrunt quippe multoties ibi quaſiprædicata terminorum, quæ conſtant ex pluribus vocibus, vel præfixa habent adverbia; occurrunt &, quæ ſunt participia, & nomina adjectiva, & ſimilia non abſtracta ſed ex materiali denominato ac formali denominante concreta,

Digitized by Google

creta, tum res alias tum Deum in perſonis trinum concernentia; ubi formalium noſtrarum vocularum uſus equidem neceſſarius: forma autem generalis hîc tradenda, ſeu communis concretis quoque & abſtractis terminis; præſertim cum ea facilimè auferat, ſi omnia quidem ſubintellecta unà exprimantur, imperfectionem, & ex hac frequenter provenientem ambiguitatem, obſcuritatis matrem: verbi gratia, *Arithmeticus non eſt ethicus,* (cui ſimilis iſta, *Sartor non eſt faber lignarius,*) quia imperfecta hæc, non mirum ſi ſit ambigua, & hinc obſcura: & formetur igitur logice, & addantur prædicato ea, quæ ſubintelligi oportet, idque hoc modo, *Aliquid quod eſt arithmeticus, eſt aliquid quod non eſt ethicus,* ſcil. *ſub eadem formalitate,* & tunc vera eſt: ſin, *ſub formalitate alia,* falſa eſt: in univerſum enim nego, logicè formatam eſſe & perfectam enuntiationem, quæ non clarè exprimit ea quæ enuntians apud animum ſubaudit: (unde & miror, tanti fieri in Topicis axiomata, ſeu maximas, quibus debita limitatio necdum adjecta.) Ita in divinis hæc, *Pater eſt Filius,* vel ſic intelligenda, *Aliquid quod eſt Pater, eſt aliquid quod eſt Filius,* nempe *ſub eadem formalitate*; in quo ſenſu falſa eſt: vel ſubaudiendum, *ſub formalitate alia*; & tunc eſt vera. Cur autem non ſic formare, quoad prædicatum, licet, *Aliquid quod eſt Pater, eſt Filius?* Quia, quale eſt ſubjectum, tale oportet eſſe & prædicatum: quod docebit converſio hæc, *Ergo aliquid quod eſt Filius,* (ſic enim dicendum,) *eſt aliquid quod eſt Pater.* Imo ſicuti *homo* & *animal,* in eodem quidem ſubjecto, ſunt concreta cujus diverſæ formalitates; ita abſtracta ipſa ſunt etiam concreta pari modo: quum nempe alia ſit formalitas *temperantiæ,* qua talis eſt, & alia *virtutis* ejuſdem, qua virtus eſt. Diſtinctè igitur demum, ſeu logicè, ſic itidem formandi termini quoque hujuſmodi omnes, addendumque non minùs, de qua formalitate ſit ſermo, ſaltem cum ambiguitas obſcuritatem efficit in animo alterius, cui ſenſa mentis tuæ aperienda logice. Et ſic patet, formam, quam aſſignavimus, uſuvenire generaliter in enuntiationibus ejuſcemodi ſimplicibus omnibus. At cur in Singularibus appono pronomen demonſtrativum

tivum quaſi prædicato? De iis, quibus prædicatum negatum, res clara eſt: nam hæc, *Quidam homo non eſt hoc doctum*, ſine dubio ita formanda, *Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt hoc doctum*. Deinde verò, tum aliunde, tum è ſubjecto concluſionis in tertia, quando id fuit prædicatum ſingulare in Minore, pateſcet, terminum illum affirmatum ſic eſſe efferendum, *Aliquid quod eſt Petrus*: ergo, inquam ego, pari ratione dicendum, *Aliquid quod eſt hic homo*. De quibus & ſimilibus plura aliàs.

6. Spectata jam Qualitate & Quantitate, oritur Oppoſitio inter enuntiationes duas; quarum utraque ſubjecti ejuſdem, ſed una prædicati affirmati, altera negati. Sic formaliter contrariæ ſunt, non hæ quidem, *Omnis homo eſt animal* & *Nullus homo eſt animal*, (utriusque enim forma ſaltem grammatica eſt, ſeu rudis magis quàm artificialis, ſicuti & illius, *Omnis homo non eſt animal*: licet hæc paulò adhuc melior quàm iſta, *Nullus homo eſt animal*: quam prorſus nobis intolerabilem num. 5. eſſe, ſignificavimus antea,) ſed iſtæ, *Omne aliquid quod eſt* (vel *non eſt*) *homo, eſt aliquid quod eſt animal, Omne aliquid quod eſt* (vel *non eſt*) *homo, eſt aliquid quod non eſt animal*. Deme dein utrobique ſignum *Omne*, & erunt ſubcontrariæ, contrariis illis altrinſecus contradicentes: ſed multum diverſæ ab informibus hujuſmodi, *Quidam homo eſt animal*, *Quidam homo non eſt animal*. Singulares verò contradicunt ſibi tantum inter ſeſe: ut, *Aliquid quod eſt* (vel *non eſt*) *hic homo, eſt aliquid quod eſt doctum* (vel *hoc doctum*:) *Aliquid quod eſt* (vel *non eſt*) *hic homo, eſt aliquid quod non eſt doctum* (vel *hoc doctum*:) univerſalibus autem illis quæ non ſimul ſingulares, contrariantur pariter, & particularibus ſubcontrariantur; puta, quoad prædicatum, affirmativæ negativis, & negativæ affirmativis. Addere forſan aliquid poſſem de iis quæ ſunt ſingularuniverſales, & indicare, non contrarias ſed contradictorias videri eſſe has, *Omne aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod eſt animal* (vel *hoc animal*,) *Omne aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod non eſt animal* (vel *hoc animal*,) imò & eas, à quibus utrobique abſit *Omne*, æquè ac certum eſt, contradicere

duo

duo iſta paria ſibi altrinſecus decuſſatim. Sed in ſyllogiſmis major earum uſus eſt, quàm in Oppoſitione. Quare hîc eam rem taceo.

7. Subjiciunt alii tractationem, tum de Æquipollentiis Enuntiationum, tùm de finitarum & infinitarum conſequentia reciproca. Sed neutrâ eſt opus. Nam forma, quam nos aſſignavimus, Enuntiationum univerſalium ac particularium & ſola eſt logica, & ſufficit. Vt enim diximus, inartificialis tantum forma eſt harum, *Omnis homo eſt animal*, *Nullus homo eſt animal*, perinde atque etiam iſtarum, *Quidam homo eſt doctus*, *Quidam homo non eſt doctus*: & ſolus grammaticus expedire logico tenetur, æquipollere *Omnis* & *Nullus non*, item *Nullus* & *Non ullus* ſeu *Non aliquis*: & ſic de cæteris; ex natura enim idiomatis petuntur iſta, quod cum ſit non ſolùm Latinum, linguæ cujuſque uſus erit ſpectandus: puta, quia, verbi gratia, non item in linguis omnibus aliis duæ etiam negationes affirmant. Quin relegari potius è foro logico velim, ſicuti vocem *Nullus*, (de qua paulò ante,) & conſequenter illud *Non aliquis*, ita & *Non nullus*, & *Nullus non*, & *Non nullus non*. *Non nullus* quidem, quia idem dicit quod *Non non ullus* ſive *Non non aliquis*, cujus loco annon præſtat ſufficitque dicere *Aliquis*? quia item iſtæ duæ negationes pertinent ad quaſicopulam prædicati; & ſic *Non nullus homo eſt doctus*, accuratè agendo, idem eſt quod ineptiſſima illa; *Quidam homo eſt aliquid quod non non eſt doctum*: cujus proinde loco, annon ſatius ſatiſque, dicere breviter ſimpliciterque, *Quidam homo eſt aliquid quod eſt doctum*? & denique quia poſterius *non* è particulari ſimul facit univerſale ſignum, prius verò *non* ex univerſali hoc viciſſim particulare: quorſum vero putidæ hæ tædioſæque ſuperfluitates, quibus caret clara & evidens illa, quam diximus, *Quidam homo eſt aliquid quod eſt doctum*? *Nullus non* item, (& ſic quoque *Non aliquis non*,) quia & utrumque *non* pertinet ſimiliter ad quaſicopulam prædicati, indeque neutro ibi opus eſt, prius vero *non* è ſubjecto quoque particulari facit univerſale: rectiùs autem retinetur illic *Omnis*, proque *Nullus homo non eſt animal*, conſequenter meliùs dicitur, *Omnis homo eſt* num. 5, & 6.

aliquid

aliquid quod eſt animal. *Non nullus non* verò; quia perinde id, ac ſi dicas, *Non non aliquis non: non aliquis non* autem obſcurat formam, prout audivimus, tenebriſve involvit: quantò magis ergo obſcurabitur forma, præfixo adhuc alio *non?* & quidni idcirco, expunctis duobus primis *non*, quæ & ſeinvicem elidunt, retineatur *Aliquis non*, ſeu pro *Non nullus homo non eſt doctus*, dicatur perſpicuè & ſimpliciter, *Quidam homo eſt aliquid quod non eſt doctum?* Imò amandari & velim duo iſta, *Non omnis* & *Non omnis non*. Prius quidem, quia illud *Non* pertinet ad quaſicopulam prædicati itidem, & ſimul è ſubjecto univerſali facit particulare: ponatur igitur ſuo loco, & ſubjectum tunc eſto particulare, adeoque ex tali, *Non omnis homo eſt doctus*, fiat iſta, *Quidam homo eſt aliquid quod non eſt doctum*. Poſterius verò: quia non eſt formata logice hæc, *Non omnis homo eſt doctus*: quemadmodum jamjam patuit: multo minùs igitur iſta (cui inſertum adhuc aliud *non*,) *Non omnis homo non eſt doctus*, ubi duo ſcilicet illa *non* pertinent etiam ad quaſicopulam prædicati, & ſic ſeinvicem deſtruunt, prius autem & è ſubjecto univerſali facit particulare, atque ita magis logicum eſt dicere, *Quidam homo eſt aliquid quod eſt doctum*: quum videlicet hoc non æquè ſalebroſum aut tenebricoſum ſit, ſed expeditum potius ac dilucidum. Vnde jam, loco quatuor quaternionum, vulgo tradi peculiari ſchematiſmo ſolitarum, ceu æquipollentias in quaque repræſentantium, ſufficiunt enuntiationes hæ quatuor, non ſolum quoad prædicata, ſed & quoad ſubjecta, formatæ logice: *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal. Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt animal, Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt animal.* Æquipollentiæ enim illæ planè, ut intricatiores, ita ſupervacaneæ, quemadmodum è dictis manifeſtum eſt: artificis autem logici munus requirit, ſubmotis, quæ mentis diſcurſum remorantur, diſpendiis quibuſcunque, compendia ſolum oſtendere, nil niſi lucem fulgidiſſimam præbentia, & ſine ambagibus manuducentia. Sicuti proinde neque finitarum & infinitarum

Digitized by Google

tarum conſequutione,quam vocant,opus eſſe diximus; ex quo, inquam, finitarum negantium & infinitarum affirmantium hîc nulla eſt: quum videlicet nullæ hîc ſint negantes; imò propriè loquendo nec infinitæ ullæ infiniti totius prædicati, neque enim formaliter pronuntiatur prædicatum ſic, *Lapis eſt non homo*, ſed ita demum, *Lapis eſt aliquid quod non eſt homo*, (quod jam ante quoque monuimus;) neque verò hîc illud *non* præfixum prædicato toti, ſed ſolummodo ejus quaſicopulæ, quam negat.

8. Ab Enuntiationibus itaque Simplicibus ad conſequentias, quæ fiunt ex illis, tranſeamus. Harum princeps ea, quæ eſt ſyllogiſmorum primæ figuræ, quippe ſola per nullam notiorem ſeu perfectiorem evidentioremve demonſtrabilis. Sicut autem diximus, Enuntiationes omnes ſimplices, logice formatas, eſſe affirmantes, quicquid ſit de qualitate non ſolum ſubjecti ſed & prædicati: ita hîc in prima figura omnis concluſio eſt affirmans: & ſic neque opus eſt modis Celarent & Ferio,vel Dicto de nullo,tanquam diſtincto quidem à Dicto de omni: neque enim negatio quaſicopulæ prædicati efficit hîc magis formam Enuntiationis ipſius aliam, quàm negatio quaſicopulæ ſubjecti. Major verò propoſitio debet hîc eſſe univerſalis, (licet nequaquam unquam talis, qualis hæc, *Nullus homo eſt lapis*: utpote quam nequaquam eſſe formalem enuntiationem, ſat ſedulò monuimus: eſtque id cauſa altera repudiandi vocem Dicti, quod vocant *de nullo*:) & Minor tunc, unà cum Concluſione, poteſt eſſe vel univerſalis vel particularis vel ſingularis: dummodo interim attendatur, ut non tantùm ſubjectum Minoris idem ſit cum ſubjecto Concluſionis, & prædicatum Majoris cum prædicato Concluſionis, ſed & medium verbis iiſdem pronuntietur in Minore, quibus in Majore: alioqui plures tribus termini erunt: (quod moneo inter alia propter illationem hanc, *Omnis homo eſt animal, Bos non eſt homo, Ergo bos non eſt animal*: quam in ſcholis reſpondent eſſe Minore negante in primâ, ſed non rectè, quatuor enim potiùs termini hîc ſunt: quod manifeſtum fit ſtatim atque præmiſſæ proferantur formaliter,

Digitized by Google

ter, hoc modo, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Aliquid quod eſt bos, eſt aliquid quod non eſt homo*; ecce, annon quaſicopula ſubjecti Majoris affirmans, prædicati verò Minoris negata, ipsâ interim copulâ ejuſdem Minoris affirmante?) Major autem non poteſt eſſe particularis; prout notum eſt: neque Singularis tantùm, quicquid tandem nonnulli contra ſentiant, qui proinde ſolvere nequeunt ſophiſma, *Hic Deus eſt Pater, Filius eſt hic Deus, Ergo Filius eſt Pater*: ſed, ſi ſingularis eſt, debet inſuper univerſalis fieri, adeoque tunc formaliter ſic exprimi, *Omne aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod eſt animal* (vel *hoc animal*,) quæ nobis eſt ſingularuniverſalis. Neque Dicto de omni id repugnat; cum *Omne aliquid quod*, non ſolum reſpiciat plura ſub ſe individua, ſed interdum etiam unicum, licet quaſi in confuſo, ſive, pro aliquo quodcunque tandem illud ſit, ſumtum. Quare termini ſophiſmatis illius formentur eodem modo in Majore, *Omne aliquid quod eſt hic Deus, eſt aliquid quod eſt Pater*, ac dein pergatur, *Aliquid quod eſt Filius, eſt aliquid quod eſt hic Deus, Ergo aliquid quod eſt Filius, eſt aliquid quod eſt Pater*, & ſyllogiſmus tunc totus bonus eſt. Diverſæ namque ſunt, *Aliquid quod eſt Filius, eſt aliquid quod eſt Pater*, &, *Filius eſt Pater*: quia nempe prior evidenter vera, poſterior verò ambigua: ambigua, inquam, quum vel ſic ſumi poſſit, Illud concretum ex eſſentia divina & perſona ſecunda, eſt Pater ſub eadem formalitate, (quomodo & communiter in Eccleſia Catholica ſumitur,) & ſic falſa eſt: vel ita, Illud concretum quod ſub formalitate ſecundæ perſonæ eſt Filius, eſt Pater, ſub formalitate, ſi non hac, ſaltem alia: (quomodo & à doctis interdum ſumitur,) & ſic vera eſt: ambigua autem enunciatio, indeque obſcura, quia manca, non eſt formata logice: exprimatur ergo illud quod ambiguitatem tollit; &, ſicuti evidens, ita perfecta ac formalis demum erit: exprimetur autem clarè, ſi terminus uterque formaliter pronuntietur, noſtro, quem diximus, modo. Vnde & patet, non logicè formatam eſſe iſtam, *Omne aliquid quod eſt hic Deus, eſt Pater*; quum videlicet ambigua ſit ipſa: vel enim intel-

Digitized by Google

ligitur prædicatum *Pater* ſub eadem formalitate, & ſic falſa eſt: vel materialiter ſaltem, & ſic vera eſt. Tollitur autem ambiguitas & obſcuritas denique omnis, ſi efferatur noſtro modo, ut vidimus. Ac certè Logica ideo divinitus generi mortalium conceſſa, ut obſcuritatem ejuſmodi omnem eliminet, intellectumque noſtrum & luce clariſſimâ perfundat & ſimul dirigat, prout non multò antè quoque diximus. Notandum verò circa terminos porro, non ſolùm omnes eos poſſe eſſe affirmatos, ſed & majorem, & minorem, & medium, poſſe eſſe negatum: majorem, ut hîc, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt lapis, Aliquid quod eſt rationale, eſt aliquid quod eſt homo, Ergo aliquid quod eſt rationale, eſt aliquid quod non eſt lapis*: minorem præterea, ut hîc, *Omne aliquid quod eſt nihil, eſt aliquid quod non eſt creatura, Omne aliquid quod non exiſtit, eſt aliquid quod eſt nihil, Ergo omne aliquid quod non exiſtit, non eſt creatura*: medium inſuper, ut hîc, *Omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo, Omne aliquid quod non eſt ſubſtantia, eſt aliquid quod non eſt animal, Ergo omne aliquid quod non eſt ſubſtantia, eſt aliquid quod non eſt homo.* Quem quidem poſtremum ſyllogiſmum Cornelius Martinus, Horneius, & alii, ſic proferunt, *Quicquid non eſt animal, non eſt homo, Quicquid non eſt ſubſtantia, non eſt animal, Ergo quicquid non eſt ſubſtantia, non eſt homo*; (ſicuti & ſub eadem Majore ſubſumere ſolent, *Lapis non eſt animal*, & concludere, *Ergo lapis non eſt homo*:) & valdè ſe torquent, ex quo negari ſolet in ſcholis, Minorem in prima poſſe eſſe negantem. Cornelius quippe ait, Minorem ejuſmodi, cum reſpectu ad Majorem, eſſe affirmantem. Horneius verò, in tali caſu Minorem eſſe negantem, neque regulam iſtam, in ſcholis tradi ſolitam, ad caſum hunc ſeſe extendere. Errat uterque, idque inde, quia ſyllogiſmum non formarunt logicè, ſed ſolum grammaticè ſeu populariter, hoc eſt, rudi modo: nam, quum habeatur in Majore ipſorum, *Quicquid non eſt animal*, ibi verbula duo, *non eſt*, nihil aliud ſunt quam ſubjecti quaſi copula negata, ac proinde deberent eodem modo reperiri in prædicato Minoris poſt copulam:

Cornel. Mart. Analyſ. log. part. 1, cap. 3. Horn. Inſtit. log. lib. 4. q. 9. num. 20.

Digitized by Google

lam; ipſi & ea ibi omittunt, & negationem inſuper copulæ præfigunt: an vero hoc eſt, è ſubjecto Majoris facere prædicatum Minoris? Nullo modo. Quare forment potiùs, ut formavi ego, & nulla difficultas erit ultra: manifeſtè enim tunc patebit, Minorem eſſe affirmantem: ſicuti noſtro judicio nulla non Enuntiatio Simplex eſt affirmans, ubi prolata quidem formaliter fuerit.

9. Satis de prima figura. Superſunt ſecunda & tertia, ſed demonſtrabilis utraque per primam, converſione adhibitâ: apud eos puto, quibus converſionum regulæ magis notæ. Ad demonſtrandam verò ſecundæ figuræ conſequentiam quamcunque ſufficit converſio Enuntiationis univerſalis (ſub qua & hîc ſingularuniverſalem comprehendo,) in univerſalem per termini utriuſque contrâpoſitionem. Non autem converſio formalis hæc eſt, *Omnis homo eſt animal, Ergo quicquid non eſt animal, non eſt homo:* nam copula tam in poſteriore quàm in priore deberet eſſe affirmans, & prædicatum poſterioris *homo* deberet eſſe oppoſitum ſubjecto prioris: quorum neutrum eſt: imò & prædicato quidem prioris *animal*, oppoſitum eſt ſubjectum poſterioris *non eſt animal*, ſed unà cum quaſicopula *eſt*, quod non fuit in prædicato illo prioris, in qua quidem habetur *eſt*, ſed copula id ibi, non verò quaſicopula termini. Imò neque hæc etiam formalis converſio per contrapoſitionem eſt, *Omnis homo eſt animal, Ergo omne non animal eſt non homo*, quia neutra harum formata logicè. Sed legitima mihi iſta demum, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Ergo omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo*: nam copula ipſa, ſicuti erat in priore, ita relinquitur in poſteriore, & quaſicopula utraque, in priore affirmans, in poſteriore eſt negata. Et notandum, non ſolum eſſe converſionem per contrapoſitionem, cum termini affirmati mutantur in negatos, ſed & cum negati in affirmatos: ut, *Omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo, Ergo omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal*: item, *Omne aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod non eſt lapis, Ergo omne aliquid*

quod

quod eſt lapis, eſt aliquid quod non eſt animal. Nam quod dicere ſolent, converſionem hanc eſſe univerſalis negativæ & ſimplicem & formalem, *Quicquid non eſt animal, non eſt homo, Ergo quicquid eſt homo, non eſt non animal*, & pari modo iſtam, *Nullum animal eſt lapis, Ergo nullus lapis eſt animal*: id, apud me quidem, gratis dicitur: utpote qui nego, dari Enuntiationes ſimplices, formaliter prolatas, quæ negativæ, & ſic pariter nego, eas, quæ ita converſæ, logicè eſſe formatas: cumprimis verò, ſicuti jam ante negavi, ita hîc iterum nego pernegoque, formalem eſſe hanc, *Nullum animal eſt lapis*. Formentur ergo, ut à me formatæ ſunt, & evidens fiet, Converſionem eſſe Vniverſalium affirmativarum in Vniverſales affirmativas per contrapoſitionem, qualem nempe nos dedimus. Mediante, inquam, converſione hac reducuntur ſyllogiſmi ſecundæ figuræ ad primam.

10. Concluditur autem in ſecunda hac figura ſemper affirmativè, quicquid hîc dictura tandem ſit ſchola Ariſtotelis. Nam, quæ, juxta ſententiam hujus, negans enuntiatio, nobis eſt negati ſolum prædicati, interim verò ipſamet in ſe affirmans. Præmiſſarum verò alterâ habente medium (quod prædicatur ibi in utrâque) affirmatum, altera debet habere idem negatum: & ſubjectum Majoris prædicato conclusionis oppoſitum debet eſſe quoad affirmationem ac negationem: (perinde atque fit in converſione per contrapoſitionem, adeoque illatenus, nequaquam verò alio pacto, & duo medii & duo majores, & ſic in univerſum quinque termini in ſecunda figura eſſe non poſſunt ſolum, ſed & ſemper debent: contrà quàm eſt in prima, ac ordinariè in tertia:) certè, ſi medium utrobique negatum ſit, nihil ſequitur: ſed neque, ſi affirmatum, præterquàm quum idem illud in Majore tunc eſt prædicatum univerſale, ſeu ſingularuniverſale; de quo infra. Et Major debet *num.* 15. eſſe, non particularis, neque ſingularis, ſed univerſalis, (ſub qua comprehendo hîc & ſingularuniverſalem,) pari modo atque in primâ; Minore habente quantitatem liberam, perinde atque ibidem: neutra autem efferenda unquam ſub forma hujuſmodi, *Nullus homo eſt*

lapis: idque ob cauſam, ſatis abundè jam alibi redditam. Medium in Majore affirmatum eſt hîc, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Lapis eſt aliquid quod non eſt animal, Ergo lapis eſt aliquid quod non eſt homo*: & reductio ad primam fit, convertendo Majorem ſic, *Omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo*. Medium in Minore eſt affirmatum hîc, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt arbor, Quercus eſt aliquid quod eſt arbor, Ergo quercus eſt aliquid quod non eſt homo*: & reductio fit, convertendo Majorem hoc pacto, *Omne aliquid quod eſt arbor, eſt aliquid quod non eſt homo*. Amplius quid dicam. Optimè hîc etiam concluditur, prædicato concluſionis undiquaque affirmato, non ſolum in caſu quem ſubindicavimus paulò antè, ſed & aliàs: nempe ubi majus extremum in Majore eſt negatum: ut hîc, *Omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo, Petrus eſt aliquid quod eſt homo, Ergo Petrus eſt aliquid quod eſt animal*: reductio enim fit, convertendo Majorem ſic, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal*, & eſt ſyllogiſmus tunc in primâ optimus. Alii quidem ſic inferunt, *Quicquid non eſt animal, non eſt homo, Petrus eſt homo, Ergo Petrus non eſt non animal*: nequaquam verò formaliter. Sed illi, ſicuti docent, negativam (quæ nobis affirmans negati prædicati,) debiliorem eſſe affirmativâ, ita præſupponunt, quod ego non magni facio, Concluſionem ſequi debere partem debiliorem. Formetur ſyllogiſmus, ut à nobis factum, & nihil difficultatis erit. Nos quomodo ſyllogiſmos ſecundæ figuræ reducamus, ex dictis liquet. Docent quidem in ſcholis, reducendos eos, convertendo ſimpliciter, in Ceſare quidem & Feſtino, Majorem, in Cameſtres verò Minorem & Concluſionem; ex Baroco autem reductionem faciunt per impoſſibile: ſed, & converſio eorum ſimplex illa nobis eſt per contrapoſitionem potiùs, ut diximus; & præſtat, per contrapoſitionem noſtro modo converti ſolam Majorem, non in Ceſare tantum & Feſtino: ſed & in Cameſtres & Baroco, multò enim ea res compendioſior, imò in Baroco compendioſiſſima potiùs.

11. Hucuſ-

11. Hucuſque de ſecunda figura. Iam de tertia. Quæ quia ad primam reducitur, mediante converſione, ubi prædicatum, cum ex eo fit ſubjectum, quoad qualitatem & quantitatem permanet idem; etiam converſionem hanc prius videamus. Primò itaque omnis univerſalis propoſitio convertitur hîc, non quidem hoc modo, *Omnis homo eſt animal, Ergo quoddam animal eſt homo*; (neque enim converſio hæc formalis,) ſed ita demum, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Ergo aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt homo*: item ubi convertendæ terminus uterque negatus, *Omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo, Ergo aliquid quod non eſt homo, eſt aliquid quod non eſt animal*: item ubi convertendæ ſolum prædicatum eſt negatum, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt lapis, Ergo aliquid quod non eſt lapis, eſt aliquid quod eſt homo*: item denique, ubi ſolum ejuſdem ſubjectum eſt negatum, *Omne aliquid quod non eſt nihil, eſt aliquid quod eſt ens, Ergo aliquid quod eſt ens, eſt aliquid quod non eſt nihil.* Neque verò ſolum convertitur univerſalis ita in particularem, quando nempe prædicatum ejus particulare; ſed & in ſingularem, quum prædicatum ſingulare, ut, *Omne aliquid quod eſt Deus,* (vel *hic Deus,*) *eſt aliquid quod eſt hic Pater, Ergo aliquid quod eſt hic Pater, eſt aliquid quod eſt Deus,* (vel *hic Deus.*) Deinde convertuntur & particularis & ſingularis itidem in enuntiationem quantitatis ejuſdem, cujus prædicatum ipſius eſt; ut, *Aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo,*) *eſt aliquid quod eſt creatura Dei* (vel *hæc creatura Dei,*) *Ergo aliquid quod eſt creatura Dei* (vel *hæc creatura Dei,*) *eſt aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo.*) Cui exemplo adhuc unicum adjicere lubet, iſtud nempe, *Aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo,*) *eſt aliquid quod non eſt doctum* (vel *hoc doctum,*) *Ergo aliquid quod non eſt doctum* (vel *hoc doctum,*) *eſt aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo.*) In ſcholis aiunt, quanquam non præeunte Ariſtotele, (utpote qui negat, particularem negantem eſſe convertibilem,) hanc, *Quidam homo non eſt doctus*, converti per contrapoſitionem ſic, *Ergo quoddam non doctum non eſt non homo*: at nequaquam formaliter,

1. *Prior.* c. 2.

liter; nam formalis converſio eſt illa potiùs quam nos jamjam dabamus.

12. Hiſce jam ſic habentibus, ad tertiæ figuræ ſyllogiſmos veniamus. Vbi duo occurrunt monenda. Vnum eſt, concluſionem debere eſſe ejuſdem quantitatis cum prædicato Minoris, hoc eſt, particularem ſi illud ſit particulare, vel ſingularem ſi illud ſingulare: non tamen enuntiatam ut hæ, *Quidam Filius eſt Pater, Hic Filius eſt Pater*, (quæ apud homines doctos in aliquo ſenſu veræ quidem, ſed aliàs in communi uſu falſæ,) ſed ſic potiùs, *Aliquid quod eſt Filius* (vel *hic Filius,*) *eſt aliquid quod eſt Pater* (vel *hic Pater,*) quæ vera abſque ambiguitate: unde & hic demum ſyllogiſmus formalis, *Omne aliquid quod eſt Deus, eſt aliquid quod eſt Pater* (vel *hic Pater,*) *Omne aliquid quod eſt Deus, eſt aliquid quod eſt Filius*, (vel *hic Filius,*). *Ergo aliquid quod eſt Filius* (vel *hic Filius,*) *eſt aliquid quod eſt Pater* (vel *hic Pater.*) Perinde enim hîc, ubi formale concreti eſt ſubſtantiale, res habet, atque in iis ubi eſt accidentale: ut, ſi quis genuerit liberos, vivis & patre & avo, ille tunc eſt & pater & filius & nepos: nec tamen ſyllogiſmus formalis hic, *Filius eſt pater, Filius eſt nepos, Ergo nepos eſt pater*, vel *quidam nepos eſt pater*; ſed iſte, *Omne aliquid quod eſt hic filius, eſt aliquid quod eſt hic pater*, *Aliquid quod eſt hic filius, eſt aliquid quod eſt hic nepos*, *Ergo aliquid quod eſt hic nepos, eſt aliquid quod eſt hic pater.* Alterum eſt, præmiſſarum unam debere eſſe univerſalem, cujuſcunque tandem quantitatis fuerit altera: quod cum dico, nego formales eſſe ſyllogiſmos quos vocant Expoſitorios, ac proinde in formam redigendos hos aſſero, faciendo nimirum præmiſſarum alteram univerſalem, ſeu ſingularem univerſalem, ſicuti nos fecimus mox ante in exemplo illo utroque, & facere idem licebit, mutando hanc, *Hic homo eſt animal* (vel *hoc animal,*) in iſtam, *Omne aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod eſt animal* (vel *hoc animal.*) Hi autem duo hîc, inquam, ſunt modi: unus, ubi Major propoſitio, ſive cum Minore ſive ſola, univerſalis: alter, ubi ſola Minor.

13. Prioris modi ſyllogiſmus eſt, *Omne aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo,*): *eſt aliquid quod eſt animal*

(vel

(vel *hoc animal,*) *Omne* (vel etiam, omiſſo ſigno hoc univerſali,) *aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo*) *eſt aliquid quod eſt corporeum, Ergo aliquid quod eſt corporeum, eſt aliquid quod eſt animal* (vel *hoc animal.*) Item ubi omnes tres termini negativi, ut, *Omne aliquid quod non eſt animal* (vel *hoc animal,*) *eſt aliquid quod non eſt homo* (vel *hic homo,*) *Omne* (vel, absque ſigno eo,) *aliquid quod non eſt animal* (vel *hoc animal,*) *eſt aliquid quod non vivit, Ergo aliquid quod non vivit, eſt aliquid quod non eſt homo* (vel *hic homo.*) Eadem ratio eſt, ſi prædicatum ſolius aut Majoris aut Minoris fuerit negatum. Et conſequentiæ tales firmæ ſunt omnino, quia ad primam figuram reducibles, convertendo Minorem, in priore quidem ſyllogiſmo ſic, *Aliquid quod eſt corporeum, eſt aliquid quod eſt homo* (vel *hic homo*;) in poſteriore autem ita, *Aliquid quod non vivit, eſt aliquid quod non eſt animal* (vel *hoc animal*;) & ſic pariter in cæteris. Nam quod in ſcholis dicere ſolent, Minorem in tertia non poſſe eſſe negantem, neque ex præmiſſa utraque negante ſequi concluſionem negantem, id, ſi accipias de affirmantibus negati prædicati, (in quas ego negativas ipſorum illas omnes logicè transformandas dixi, quippe cæteroqui formam logicam haud indutas,) negatur à nobis. Error autem eorum inde eſt, quod non attendunt, & ſubjectum concluſionis debere eſſe negatum, quando prædicatum Minoris fuit negatum. Verbi gratiâ, illi negarent, quidquam ſequi ex his præmiſſis, *Quicquid eſt homo, eſt animal, Quidam homo non eſt doctus.* Quare? Quia putant, non inveniri poſſe concluſionem, niſi hanc quæ falſa, *Ergo quoddam doctum non eſt animal*; concluſionem enim ſequi ſemper partem debiliorem. At nos dicimus, quatuor ibi eſſe terminos, ob ſubjectum concluſionis à prædicato minoris diverſum; & verò logicè ſic formandas præmiſſas, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt doctum*; & ibi concludendum potiùs, *Ergo aliquid quod non eſt doctum, eſt aliquid quod non eſt animal*; & illationem tunc eſſe optimam, quia reducibilem, convertendo Minorem ſic, *Aliquid quod non eſt doctum, eſt aliquid*

Digitized by Google

quid quod eſt homo. Sicuti autem prædicatum Minoris poteſt eſſe negatum, & ibi tum oportet ſubjectum quoque concluſionis ſit negatum; ita poſſe etiam prædicatum Minoris (æquè ac medium & extremum majus,) eſſe ſingulare, puta quoad ejusdem prædicati quaſiprædicatum, indeque oportere tunc & ſubjectum concluſionis eſſe eodem modo ſingulare, & conſequenter ſingularem concluſionem ipſam; id jam è ſupra dictis conſtare poteſt. Exemplum ſaltem adhuc apponam, unde forma evidenter conſpici queat: *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt hic Italus, Ergo aliquid quod eſt hic Italus, eſt aliquid quod eſt animal.* Et hucusque dicta quidem abſolvunt quatuor illos in ſcholis nuncupatos modos, Darapti, Felapton, Datiſi & Feriſon.

14. Poſterior modus nobis eſt; ubi ſola propoſitio minor univerſalis; ut in vulgò dictis Diſamis & Bocardo. Verbi gratiâ, *Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt ſubſtantia, Ergo aliquid quod eſt ſubſtantia, eſt aliquid quod eſt animal.* Item, ubi omnes tres termini negati, *Aliquid quod non eſt homo, eſt aliquid quod non eſt doctum, Omne aliquid quod non eſt homo, eſt aliquid quod non eſt animal rationale, Ergo aliquid quod non eſt animal rationale, eſt aliquid quod non eſt doctum.* Et ut ſupra, ita hîc quoque, eadem eſt ratio, ſi ſolius vel Majoris vel Minoris prædicatum fuerit negatum: pariterque hîc, ſicuti medium & extremum majus, ita ſubjectum concluſionis cum prædicato Minoris poteſt eſſe ſingulare, nempe quoad utriusque quaſiprædicatum. Sunt autem & hi ſyllogiſmi reducibiles, hoc nempe modo. In priore quidem ex Minore fiat Major, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt ſubſtantia:* ea verò quæ ante erat Major, convertatur in iſtam, *Aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt homo,* & hæc tunc fiat Minor: unde ſequitur immediatè, *Ergo aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt ſubſtantia:* & ex hac tunc demum, per converſionem, concluſio ſyllogiſmi quem reducendum ſumſeramus. Idem & fit circa ſyllogiſmum poſteriorem, nempe ſic, *Omne aliquid*

quid

quid quod non eſt homo, eſt aliquid quod non eſt animal rationale, (quæ è Minore nunc Major,) *Aliquid quod non eſt doctum, eſt aliquid quod non eſt homo,* (convertens Minor hæc ejus quæ ante erat Major,) *Ergo aliquid quod non eſt doctum, eſt aliquid quod non eſt animal rationale,* ex qua tunc, per converſionem, ſequitur inferenda concluſio, *Ergo aliquid quod non eſt animal rationale, eſt aliquid quod non eſt doctum.* Cæterum ſicuti reductio hæc laborioſior, ita & conſequentia horum ſyllogiſmorum (fermè ut eorum qui indirecti nuncupantur,) imperfectior ſeu obſcurior, quàm ſyllogiſmorum prioris modi. Reduci verò, qui ſunt in Bocardo, vulgò ſolent per impoſſibile: ſed ea reductio & ſupervacanea eſt, (ſufficit enim illa quam nos dedimus,) & planè adhuc operoſior quam noſtra.

15. Scotus ait, in tertia figura ex utraque præmiſſarum univerſali rectè etiam concludi univerſaliter, quando medius terminus in altera earum infinitus, in altera finitus, hoc pacto, *Nullum non B eſt A, Nullum B eſt C, Igitur nullum C eſt non A:* quam nos argumentationem logicè, noſtro modo, ita proferimus, *Omne id quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt homo, Omne id quod eſt animal, eſt aliquid quod non eſt lapis, Ergo omne aliquid quod eſt lapis, eſt aliquid quod non eſt homo.* Quod ſi verum eſt, poſſunt, ſaltem interdum, quinque eſſe termini in tertia, (perinde atque diximus, in ſecunda ſemper eſſe debere,) tunc nempe, quum & medium, & extremum minus, ſemel negatum & ſemel affirmatum: neque neceſſum eſt, in caſu hoc, tertiæ figuræ concluſio ſit ejuſdem quantitatis & qualitatis, cujus fuit prædicatum Minoris. Quorum neutrum etiam inficiari poſſumus; quum & ſemper ibi è veris verum ſequatur, & reducatur ſyllogiſmus iſte, Minorem convertendo per contrapoſitionem in hanc, *Omne aliquid quod eſt lapis, eſt aliquid quod non eſt animal:* atque ita converſio illa per contrapoſitionem inſervit reducendis etiam tertiæ figuræ illationibus nonnullis. Quicquid ſit, (ſaltem ego nec legi aliàs, neque audivi, in tertia ſic argumentantem quenquam,) in eadem certè figura, quum, ordinario ſeu conſueto more, tres tantum termini ſunt, rectiſſimè

Scot. in 1. Prior. q. 37. num. 3.

num. 10.

concluditur, non ſolum particulariter &, prout docuimus, ſingulariter, antegreſſo nempe prædicato Minoris particulari aut ſingulari, ſed interdum etiam univerſaliter, nempe quando prædicatum Minoris fuit univerſale; ut hîc, *Omne id quod eſt à me dictum, eſt verum, Omne id quod eſt à me dictum, eſt omne id quod ego ſcio de iſto negotio, Ergo omne id quod ego ſcio de iſto negotio, eſt verum:* reducitur enim, convertendo Minorem in hanc, *Omne id quod ego ſcio de iſto negotio, eſt id quod eſt à me dictum.* Ergone verò univerſalis affirmans talis formaliter ita convertitur in univerſalem affirmantem, quando prædicatum ejus fuit univerſale, ſeu ſignatum ſigno *Omne?* Omnino; idque

num. 11. ſatis etiam innuimus ſupra, de converſione Enuntiationum agentes, ubi prædicatum, cum ex eo fit ſubjectum, permanet idem, tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem. Quid ſi autem particularis aut ſingularis enuntiatio prædicatum habeat univerſali ſigno ſignatum? an tunc & illa convertenda utraque in univerſalem? Ita planè. Rarò quidem occurrunt enuntiationes prædicati univerſalis; quia tamen occurrunt, præſertim cum prædicati quaſiprædicatum ſimul ſingulare, monere ſic iſta volui, monente in ſcholis nemine, quod ſciam quidem. Lorinus & nonnulli alii tradunt aliqua peculiaria de converſione enuntiationum, ubi terminus ſingularis vel alter vel uterque: ſed quid nos de iis judicemus, facile erit colligere ex dictis, converſionem attinentibus. Cæterum, quod dixi, propoſitionem, cui prædicatum univerſale, converti in aliam quantitatis ejuſdem cum illo prædicato; inde ſequitur, † quod verbo ante monebam, & in ſecunda figura, ex præmiſſa prædicati affirmati utraque, rectè concludi affirmativè, ſi Majoris tunc prædicatum univerſale ſeu ſingularuniverſale. Vt, *Omne id quod eſt hic homo, eſt omne id quod eſt hic philoſophus, Plato eſt id quod eſt hic philoſophus, Ergo Plato eſt id quod eſt hic homo.* Nec obſtat, quod in prædicato Majoris ſit ſignum *Omne,* quod exeſt è prædicato Minoris; (perinde ſcilicet ac neque aliàs obſtat, quod termini ibidem, & medius iſte & major, non iidem ſed ſibi oppoſiti, quoad affirmationem

Lorin. introduct. in Ariſtotelis logicam, part. 3. c. 4. ut & Conimbric. in prior. c. 2. q. 2. a. 4.

† *nu.* 10.

nem & negationem.) Converte enim Majorem in hanc, *Omne id quod eſt hic philoſophus, eſt id quod eſt hic homo*; & erit ſyllogiſmus reductus ad primam: ac proinde conſequentia ejus, non materialis, ut aliqui putabunt forſan, ſed verè formalis. Sed quia ſyllogiſmi tales, & converſiones, in uſu fortè non verſantur, eam quidem rem in præſentia miſſam facio.

16. Et tantum nunc etiam de ſyllogiſmis ſimplicibus, vulgò nuncupari ſolitis Abſolutis. De quibus hîc itidem dico, quod ſupra dicebam de enuntiationibus *num. 5.* hujus generis. Non, inquam, contendo, ſemper eos ita formaliter cum omnibus vocularum minutiis pronuntiari debere: præſertim quum id uſitatum non ſit. Poſſunt omnino efferri, ut vulgo ſolent: imò ipſe interdum quoque terminos eorum aliquos ita effero; quamdiu nempe nulla inde oritura difficultas. At tunc non concludunt, niſi vi formæ, in quam redigendos ipſos dixi. Hac certè formâ ſic prolatâ explicitè, & addita quidem, ubi ambiguitas obſcuritatem cauſare videtur, terminorum explicatione, facillimum eſt extricare ingenia, difficultatibus circa conſequentias occurrentibus; imò plurimis, quæ traduntur in ſcholis de talibus, forſan opus tunc etiam haud eſſe.

17. Iam ad propoſitum veniamus. Dixi, non opus eſſe peculiari doctrina de Modalibus; quia eadem hîc ſit ratio quæ in Simplicibus cæteris, quoad qualitatem, quantitatem, & oppoſitionem enuntiationum, nec non conſequentiam reductionemque ſyllogiſmorum. Quæ mea ſententia ut intelligatur, notari ante omnia cupio, non eſſe apud me formatas logicè haſce, *Neceſſe eſt hominem eſſe animal*, *Impoſſibile eſt equum eſſe lapidem*; (quibus planè ſimiles & illæ, ubi præfixum *Poſſibile eſt*, vel *Contingit*;) ideoque remittendas hinc ad grammaticum, utpote hucuſque à logico non tractabiles abſque tricis merè otioſis innumerabilibus. Quare? Quia & voces ibi indebito ordine collocatæ, & termini obliqui. Alieniſſimo certè loco ſtant, quum primum tenent, *Neceſſarium*, *Impoſſibile*, & id genus reliqua: quod accuratè notetur velim. Imò ne quidem logicè formatæ illæ, *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*, *Impoſſibile eſt ut*

alveus

alveus fluminis publici non ſit publicus, Fieri non poteſt ut adulteri ſalventur, Fieri non poteſt, quin dato abſurdo non ſequantur plura, Fieri poteſt ut cras pluat, Contigit ante menſem ut inciderem in lectionem libri optimi. Non, inquam, logicè formatæ hæ, quæ non infinitivæ: Quantò minùs igitur infinitivæ illæ?

18. Bifariam autem, & ſuis locis reponere omnia licet, & obliqua rectificare. Primò quidem, illud *Neceſſe eſt,* ſicuti &, *Impoſſibile eſt,* removendo è loco illo primo in poſtremum; ac tunc, enuntiationibus, quæ in infinitivo modo prolatæ, rectificatis, efferendo totum ſic: *Id quod illa, Homo eſt animal, dicit,* (en hucuſque ſubjectum,) *eſt* (ecce copulam, quam nunc ſequetur prædicatum) *aliquid quod eſt neceſſarium,* ſeu *neceſſariò verum; Id quod iſta, Equus eſt lapis, dicit,* (hucuſque ſubjectum,) *eſt* (hæc eſt copula, nunc ſequetur prædicatum) *aliquid quod eſt impoſſibile:* ubi utrobique & ſubjectum ipſum, & incluſas eidem enuntiationes, ad libitum formare logicus poterit. Secundò, enuntiationes hucuſque ſubjecto ſic incluſas accipiendo, ac duas, quas diximus, voces prædicatis apponendo; puta ſic, *Homo* (hactenus ſubjectum, quod itidem pro lubitu formandum relinquo,) *eſt* (hucuſque copula, ſupereſt prædicatum) *aliquid quod eſt* (hucuſque & quaſiſignum & quaſiſubjectum & quaſicopula) *neceſſario animal,* vel, quod eodem redit, *neceſſarium eſſe animal,* (perinde enim eſt, ſive adverbio utaris ſive nomine: quanquam, ubi adverbium, ibi recti quaſitermini omnes: ubi autem nomen, ibi rectum ſolum quaſiſignum quaſiſubjecti, *aliquid.*) Item, *Equus* (ſubjectum, pro arbitrio formabile,) *eſt* (copula, nunc ſequetur prædicatum) *aliquid quod eſt impoſſibile eſſe lapidem.* Voci enim, quæ ſolet appellari Modus, locus debetur poſt quaſicopulam, ita ut ſit quaſiprædicati illic pars initialis. Præſtaret quidem, meo judicio, Modos iſtos omittere, & pro iis uſurpare voces alias idem dicentes; adeoque in priore genere, pro prædicato *eſt aliquid quod eſt neceſſarium,* ponere, *eſt aliquid quod non poteſt non eſſe verum,* & pro *eſt aliquid quod eſt impoſſibile, eſt aliquid quod non poteſt eſſe verum,* item pro *eſt aliquid quod contingit, eſt aliquid*

quod

Digitized by Google

quod & eſt & poteſt non eſſe, & pro *eſt aliquid quod eſt poſſibile, eſt aliquid quod & non eſt & poteſt eſſe*, vel ſi aliter poſteriores duas voces accipere placeat, illud ſimili modo apertè eloqui; in poſteriore item genere, pro prædicato, *eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal*, ſubſtituere, *eſt aliquid quod non poteſt non eſſe animal*; pro *eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſſe lapidem*, dicere, *eſt aliquid quod non poteſt eſſe lapis*, & ſic de cæteris: non ſolum enim nulla tunc ibi occurrerent verba imperſonalia, quæ ſemper ſecum trahunt voces obliquas, (verba autem imperſonalia ſunt, *Neceſſum eſt, Impoſſibile eſt, Contingit, Poſſibile eſt*, æquè ac iſta, *Oportet, Decet, Impium eſt, Incredibile eſt*, & ejuſdem generis ſexcenta alia,) ſed & clariſſime exprimeretur, quid per modos illos intelligendum: interim his ipſis utatur, per me quidem, quicunque voluerit; dummodo explicatio eorum, qualem dixi, & melior cenſeatur ſeu magis logica, & norma pro tollendis difficultatibus obſcuritatibusve, provenientibus à modis illis ipſiſmet.

19. Porro omnes utriuſque illius generis Enuntiationes ſunt affirmantes; ob copulam ſcilicet nudè poſitam: idque ſive ſubjectum ſive etiam prædicatum fuerit negatum; adeoque negatum vel totaliter vel parte ſui aliquâ ſolâ. Prioris generis exempla ſunt, *Id quod illa, Homo non eſt animal, dicit, eſt aliquid quod non eſt neceſſarium, Id quod iſta, Petrus non eſt doctus, dicit, eſt aliquid quod non eſt impoſſibile*: ubi prædicatum utrumque negatum, non verò item ſubjectum, ſed ſolùm Enuntiatio ei incluſa; ſubjectum autem negatum foret demum, ſi diceretur, *Id quod iſta, Homo eſt* (vel *non eſt*) *animal, non dicit*. Poſterioris generis iſta, *Homo eſt aliquid quod non eſt neceſſariò lapis*, vel etiam, *quod eſt neceſſariò non lapis*, vel quoque, *quod non eſt neceſſariò non lapis*; item, *Petrus eſt aliquid quod non eſt impoſſibile eſſe hominem*, vel etiam, *quod eſt impoſſibile non eſſe hominem*, vel denique *quod non eſt impoſſibile non eſſe hominem*: omnes, inquam, hæ affirmantes, licet prædicati negati, totius quidem, ſeu quoad ejus quaſicopulam, ut in exemplo hîc utrobique primo ac tertio, ex parte verò, ſeu quoad quaſiprædicati partem poſteriorem, ut in ſecundo

cundo & eodem tertio. Quod ſi verò vocula *non* præponatur ipſimet copulæ *eſt*, tum eò non pertinet, ſed ad prædicatum; ut ſuprà dictum ſæpiùs.

20. Prioris autem generis quæ ſunt, ſi formentur ſubjecta à logico, in ſe quidem omnes ſunt ſingulares: ac proinde etiam oppoſitio hîc non alia quàm contradictoria: quæ conſiſtit in affirmatione & negatione ejuſdem quaſicopulæ, prædicati quaſiprædicato præfixæ, non tamen ejus quod quaſiprædicati illius pars tantum eſt. Vt, *Id quod illa, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſarium*; huic contradicit iſta, cujus eodem ſubjecto manente prædicatum eſt, *aliquid quod non eſt neceſſarium*: & ſic deinceps. Ac facilè totum intelligitur, ſi obſervetur tantum, utriusque ſubjectum oportere ſemper eſſe unum idemque; prædicatum autem unius affirmans prædicato alterius neganti, ſeu ejus quaſicopulæ negatæ, oppoſitum. At verò diverſa ſunt ſubjecta & eadem prædicata in hiſce, *Id quod illa, Omnis homo eſt doctus, dicit, eſt neceſſarium, Hoc quod iſta, Omnis homo non eſt doctus, dicit, eſt neceſſarium*; ſicuti & in hiſce, *Id quod illa, Quidam homo eſt doctus, dicit, eſt neceſſarium, Id quod iſta, Quidam homo non eſt doctus, dicit, eſt neceſſarium*: non igitur priores illæ duæ contrariæ, neque poſteriores ſubcontrariæ; neutra item illarum contradictoria alterius; ſed ſolum diverſæ ſunt; ſi formam logicam, inquam, ſpectes: ſicuti nec minus illæ duæ, *Id quod illa, Omnis homo eſt doctus, dicit, eſt neceſſarium, Id quod eadem iſta non dicit, eſt neceſſarium*: in quarum priore ſubjectum ipſum in ſe, ſeu quoad ipſius quaſicopulam, affirmatum, in poſteriore verò negatum. Fateor, ſubjectum iſtud, *Id quod iſta, Omnis homo eſt doctus, dicit*, non enuntiatum formaliſſimè ſic, *Aliquid quod eſt iſta, Omnis homo eſt doctus, dicens*; fateor item, præpoſito inſuper ſigno *Omne*, è ſingulari fieri poſſe ſingularuniverſalem: ſed ſtudio iſta omitto; relinquens cuique liberum adhibere ea, ubi neceſſitas poſtulare videbitur.

21. Poſterioris generis quæ ſunt, vel ſunt Vniverſales, vel Particulares, vel Singulares. Indeque Vniverſales & contrariæ duæ hæ, *Omne aliquid quod eſt homo,*

eſt

eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal, (quæ affirmati prædicati, nempe ob affirmatam ejus quaſicopulam,) &, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò animal*, (quæ prædicati negati, nempe ob negatam ejus quaſicopulam.) Demto autem utrobique ſigno *Omne*, remanent particulares & ſubcontrariæ, contrariis iſtis altrinſecus contradicentes. Vniverſales item & formaliter contrariæ ſunt hæ, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſum non eſſe animal*, (quæ affirmati prædicati, licet hujus prædicati quaſiprædicatum, non quidem totum ſed ſaltem quoad partem poſteriorem, ſit negatum,) &, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſum non eſſe animal*, (quæ negati prædicati; quod prædicatum nequaquam ſit affirmatum à negatione altera ejus quod ibi quaſiprædicati pars poſterior.) Et aufer hic itidem utrobique *Omne*; & erunt ſubcontrariæ. Sic univerſales pariter & contrariæ ſunt hæ, *Omne aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſſe metallum*, (quæ affirmati prædicati, licet ibi habeatur *impoſſibile*; nec enim id pertinet ibi ad quaſicopulam, ſed ad quaſiprædicatum;) &, *Omne aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod non eſt impoſſibile eſſe metallum*, (quæ eſt prædicati apertè negati, nempe ob negatam ejus quaſicopulam.) Iſtæ item, *Omne aliquid quod eſt canis, eſt aliquid quod eſt impoſſibile non eſſe animal*, (quæ affirmati prædicati, licet hujus prædicati quaſiprædicatum ſit poſteriore ſui parte negatum,) &, *Omne aliquid quod eſt canis, eſt aliquid quod non eſt impoſſibile non eſſe animal*, (quæ prædicati negati; nempe à negata ibi quaſicopula; ad quam negatio illa, in quaſiprædicati medio poſita, ejuſque partem ſolummodo poſteriorem reſpiciens, non pertinet; ſicut manifeſtum eſt.) Deme jam ſimiliter & illic & hîc utrobique ſignum *Omne*: & erunt ſimiliter ſubcontrariæ. Imò & ſingularium hîc oppoſitio per ſe patebit, ſpero. Nam contradictoriæ ſunt hæ; *Aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal*, (quæ eſt affirmati prædicati,) &, *Aliquid quod eſt hic homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò animal*, quæ prædicati negati, nempe ob negatam hujus quaſicopulam.)

Et

Digitized by Google

Et pari modo, quo ante in univerſalibus & particularibus, variare hîc licebit prædicati quaſiprædicatum negando hujus partem poſteriorem. De ſingularium oppoſitione plura pete ex iis quæ ſupra tradidimus.

num. 6.

22. Quæ paucula, de hujuſmodi enuntiationum natura, ſi modo percepta probè fuerint, nihil quidem de utriusque generis ſyllogiſmis, & eorum, quæ ſunt ſecundæ aut tertiæ figuræ, ad primam reductione, dicendum ſupereſſe videtur, quod non per ſe jam inde futurum obvium cuivis vel parum ingenioſo & ſolerti; præſertim ubi reſpexerit ad ea, quæ ſuperius diximus de enuntiationibus ac ſyllogiſmis ſimplicibus, Abſolutis indigetari ſolitis. Ex abundanti tamen ob oculos eam rem lectori ponemus nonnihil.

23. Quod ergo ſyllogiſmos prioris hîc generis attinet, primæ figuræ ille eſt, *Omne aliquid quod eſt neceſſarium, eſt aliquid quod non eſt contingens, Id quod iſta, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſarium, Ergo id quod iſta, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod non eſt contingens.* Qui brevitatis gratia ſic efferri ſolet, *Quicquid eſt neceſſarium, non eſt contingens, Hominem eſſe animal, eſt neceſſarium, Ergo hominem eſſe animal non eſt contingens.* Idque tolerari poteſt: niſi quod omnino ſciendum, non explicitè formalem eſſe hanc argumentationem, ſed iſtam demum, quam nos ante eam, non grammaticè ſed logicè loquentes, dedimus. Porro ſicuti hic ſubjecto Minoris incluſa Enuntiatio, ita & ſubjecto Majoris incluſa eſt in exemplo iſto, *Omne aliquid quod hæc, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſariò verum, Aliquid quod non eſt contingens, eſt aliquid quod hæc, Homo eſt animal, dicit, Ergo aliquid quod non eſt contingens, eſt aliquid quod eſt neceſſariò verum.* Imò & ſubjecto Minoris incluſa ibi tunc eſſe poteſt enuntiatio: ſed magna tunc opus eſt cautione, ne Minorem putes eſſe veram quæ falſa: ut hîc, *Omne aliquid quod hæc, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſariò verum, Quod hæc, Homo eſt equus, dicit, eſt aliquid quod hæc, Homo eſt animal, dicit, Ergo quod hæc, Homo eſt equus, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſariò verum:* ubi Minor falſa; quod non ita clarè patet, cum ipſa ſic proferri

Digitized by Google

ferri ſolet, *Hominem eſſe equum, eſt, hominem eſſe animal:* dupliciter enim hæc intelligitur; primo, *Hominem eſſe equum, eſt aliquid quo demum poſito ſequitur, hominem eſſe animal*, (in quo ſenſu vera quidem eſt, ſed prædicatum tunc habet longè diverſum à ſubjecto Majoris:) deinde, *Hominem eſſe equum, eſt idem quod, hominem eſſe animal*; & ſic falſa eſt. Pari modo ſolvitur iſtud: *Te eſſe animal, verum eſt, Te eſſe equum, eſt, te eſſe animal, Ergo te eſſe equum, verum eſt:* aut enim Minor in ſenſu priore accipitur; & quatuor ibi tum ſunt termini: aut in poſteriore; & ſic neganda ipſa. Quod ipſum adhuc magis liquidum, formaliter pronuntiatis omnibus, quæ hîc pronuntiata rudi ſolummodo Minerva. Imò idem judicium eſt & de iſto, *Qui tuas theſes, theſes appellat, verum dicit, Sed qui tuas theſes falſas eſſe dicit, is eas appellat theſes, Ergo qui tuas theſes falſas eſse dicit, verum dicit.* Cujus rei neſcius Danhauerus, *Major*, inquit, *ſimpliciter accepta, eſt vera; ſed falſa, ſi ſecundum quid, & cum additione falſitatis, theſes accipiantur.* *ſect. 2. num. 22.* Nimirum diſtinguit Majorem, (quæ non magis diſtinguenda, quàm hæc, *Omnis homo eſt ſubſtantia*, diſtinctione indiget, ex quo datur homo pictus, qui non ſubſtantia, ſed accidens;) quum potius Minorem diſtinguere debuiſſet, & in uno ſenſu eam negare, in altero quatuor oſtendere ſyllogiſmi terminos.

24. In poſterioris verò generis ſyllogiſmis, primæ figuræ hic eſt, *Omne aliquid quod eſt equus, eſt aliquid quod eſt neceſſariò ſubſtantia, Hic Bucephalus eſt aliquid quod eſt equus, Ergo hic Bucephalus eſt aliquid quod eſt neceſſariò ſubſtantia.* Neque curandum, quod ille ſic efferri ſoleat, *Quicquid eſt equus, neceſſariò eſt ſubſtantia, Bucephalus eſt equus, Ergo neceſſariò ſubſtantia*; dummodo itidem ſciatur, magis formalem demum eſſe, ubi formatus fuerit, prout à nobis proximè antè factum. Sicuti autem hîc ſolum extremum majus habet vocem *neceſſariò*, ita & medius terminus eandem habeat licet; nempe ſic, *aliquid quod eſt neceſſariò equus:* imò & de minore extremo idem judicandum. Sed & quilibet terminus peculiarem alium modum, ut vocant, admittit: neque enim diverſitas ea quidquam hîc formam

Digitized by Google

turbat, modò terminorum debita diſpoſitio fuerit. Quin & variatio hîc licita quoad negationem terminorum. Pro exemplo ſufficiat ſyllogiſmus hic unicus, *Omne aliquid quod non eſt neceſſariò ſubſtantia, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò homo, Aliquid quod non eſt neceſſariò philoſophus, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò ſubſtantia, Ergo aliquid quod non eſt neceſſariò philoſophus, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò homo.* Et ſicuti hîc omnes tres termini ſunt negati, ita poteſt vel ſolum extremum majus, vel ſolum extremum minus, vel etiam ſolum medium eſſe negatum, vel etiam eorum duo ſimul eſſe negata, affirmante tertio. Imò poſſunt quoque termini vel ſimul omnes vel ſolùm aliqui negati eſſe quoad quaſiprædicati partem poſteriorem tantùm. Neque opus eſt, exemplis hæc ſigillatim illuſtratum ire.

25. Satis de prima figura. Vbi cavendum, ne pro Enuntiatione prioris generis obtrudi tibi patiaris aliam poſterioris generis, aut viceverſa. Quod moneo propter ſophiſmata, quale eſt hoc, *Omnem partem hominis eſſe corpoream, eſt impoſſibile, Brachium eſt pars hominis, Ergo brachium eſſe corporeum, eſt impoſſibile.* Cujus vitium ſtatim ſe prodet, ubi & concluſio & præmiſſæ formaliter enuntiatæ fuerint, puta hunc in modum, *Omne aliquid quod iſta, Omnis pars hominis eſt corporea, dicit, eſt aliquid quod eſt impoſſibile, Brachium eſt aliquid quod eſt pars hominis, Ergo quod iſta, Brachium eſt corporeum, dicit, eſt aliquid quod eſt impoſſibile.* Ecce, annon quatuor, imò planè quinque, hîc ſunt termini? Et ſic explorare ſemper talia quævis promtum erit cuivis.

26. Progrediamur ad ſecundam figuram: quæ reducitur ad primam, convertendo Majorem per contra-
num. 9. poſitionem; ut ſuperiùs dictum. Vbi prioris generis ſyllogiſmus eſt, *Omne aliquid quod eſt impoſſibile, eſt aliquid quod non eſt contingens, Quod dicit iſta, Socrates loquitur, eſt aliquid quod eſt contingens, Ergo quod dicit iſta, Socrates loquitur, eſt aliquid quod non eſt impoſſibile;* (qui vulgò ſic efferretur, *Quicquid eſt impoſſibile, non eſt contingens, Socratem loqui, eſt contingens, Ergo Socratem loqui, non eſt impoſſibile;*) & reducitur, convertendo Majorem in hanc, *Omne aliquid quod eſt contingens, eſt aliquid quod non*

Digitized by Google

non eſt impoſſibile. Sicuti autem hîc minori termino incluſa enuntiatio, ita & majori incluſa eſſe poteſt, & utrique horum ſimul. Majori quidem, ut in hoc exemplo, *Equum eſſe beſtiam, eſt neceſſarium, Quod contingens eſt, non eſt neceſſarium, Ergo quod contingens eſt, non eſt illud, equum eſſe beſtiam*. Et majori verò & minori, ut in iſto, *Hominem currere, non eſt neceſſarium, Hominem eſſe animal, eſt neceſſarium, Ergo hominem eſſe animal, non eſt, hominem currere*. Cujuſmodi informes argumentationes, brevitatis ergo ſic à me propoſitas, facile jam cuivis erit formare logicè; atque ibi etiam reducere, convertendo Majorem, prout notum eſt.

27. Poſterioris generis hi duo ſunto: *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal, Lignum eſt aliquid quod non eſt neceſſariò animal, Ergo lignum eſt aliquid quod non eſt homo*. Et, *Omne aliquid quod non eſt neceſſum eſſe hominem, eſt aliquid quod non eſt neceſſum eſſe doctum, Philoſophus eſt aliquid quod eſt neceſſum eſſe doctum, Ergo philoſophus eſt aliquid quod eſt neceſſum eſſe hominem*, (quæ concluſio prædicati affirmati.) Et reducuntur, convertendo Majorem, prioris quidem ita, *Omne aliquid quod non eſt neceſſariò animal, eſt aliquid quod non eſt homo*; poſterioris verò ſic, *Omne aliquid quod eſt neceſſum eſſe doctum, eſt aliquid quod eſt neceſſum eſſe hominem*.

28. Supereſt tertia figura; reducenda prout ſuprà *num.* 11. monuimus. Vbi prioris generis ſyllogiſmus eſt, *Omne aliquid quod iſta, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod non eſt contingens, Aliquid quod iſta, Homo eſt animal, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſarium, Ergo aliquid quod eſt neceſſarium, eſt aliquid quod non eſt contingens*; (qui rudi modo, licet breviùs, ita proferretur, *Hominem eſſe animal non eſt contingens, Hominem eſſe animal, eſt neceſſarium, Ergo quoddam quod eſt neceſſarium, non eſt contingens:*) & reducitur, convertendo Minorem in hanc, *Aliquid quod eſt neceſſarium, eſt aliquid quod iſta, Homo eſt animal, dicit*. Et ſicuti hîc medio termino incluſa fuit enuntiatio, ita incluſa eſſe poteſt inſuper vel termino minori, vel majori. Minori, ut, *Socratem eſſe hominem, eſt neceſſarium, Socratem eſſe hominem, eſt, Socratem*

Digitized by Google

eſſe animal rationale, Ergo quoddam quod eſt illud, Socratem eſſe animal rationale, eſt neceſſarium. Majori, ut in iſto, *Hominem eſſe ſubſtantiam, eſt, hominem eſſe ens per ſe ſubſiſtens, Hominem eſſe ſubſtantiam, eſt neceſſarium, Ergo quoddam quod eſt neceſſarium, eſt illud, hominem eſſe ens per ſe ſubſiſtens.* Redige argumentationem utramque in formam debitam; & reduc, Minorem convertendo, quemadmodum diximus.

29. Poſterioris verò generis eſt, *Omne aliquid quod eſt equus, eſt aliquid quod eſt neceſſariò ſubſtantia, Aliquid quod eſt equus, eſt aliquid quod eſt animal, Ergo aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt neceſſariò ſubſtantia*; (quem ſic proferrent alii, *Omnem equum neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam, Quidam equus eſt animal, Ergo quoddam animal neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam*; qualis forma informis penitus, ob terminorum videlicet obliquitatem & imperſonale illud *neceſſe eſt.*) Et reducitur, convertendo Minorem in hanc, *Aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt equus.*

30. Nec opus eſt plura ſubjicere, concernentia in ſecundæ ac tertiæ figuræ ſyllogiſmis, qui poſterioris generis, variationem terminorum quoad voces, in ſcholis Modos dici ſolitas, aut quoque quoad affirmationem ac negationem totalem partialemve, aut denique etiam quoad ſingularitatem. E ſæpiùs enim expoſitis colligi iſta nullo negotio poterunt. Moneo ſaltem, quod & ipſum jam per ſe quoque evidens; ſive *neceſſum eſt* ponatur, ſive *impoſſibile,* ſive *poſſibile,* ſive *contingens,* ſive horum loco verbum quodcunque aliud; nihil hoc novi inducere in forma Enuntiationum, & Syllogiſmorum cujuſcunque figuræ; ſed eandem in univerſum eſſe rationem, quæ in Simplicibus aliis, Abſolutis nuncupari conſuetis: idque ſive verba illa prædicatum ſint, ſive pars prædicati, prout explicuimus quidem. En ergo ita ſententiam hîc meam, & quidem elimatius nonnihil expoſitam, quàm factum à me olim, quum eſſem juvenis, in Commentariolo, quem dixi, Ienæ edito.

Danhaue. Idea boni diſput. ſect. 2. *num.* 82.

31. Ioannes Conradus Danhauerus, Profeſſor Argentoratenſis, adſtipulatur mihi in toto eo, quod dico, eandem hîc eſſe rationem quæ in Simplicibus aliis, ac

proinde

Digitized by Google

proinde opus nequaquam eſſe doctrina de Modalibus peculiari. Saltem non admittendas cenſet Enuntiationes prioris generis, ubi ſubjectum enuntiatione alia gravidum: (quas, quod mirum, ſolas admittit, rejectis alteris illis, Petrus Molinæus.) Quare autem? Quia & idem hæ dicant cum Enuntiationibus poſterioris generis, & mutari in eas poſſint facile ac debeant; verbi gratia, hæc, *Hominem eſſe animal* (quod ſubjectum quomodo rectificandum & formaliter efferendum ſit, è præcedentibus conſtat,) *eſt neceſſarium*, in iſtam, *Homo eſt neceſſariò animal.* Subſcriberem lubens, ſi aſſertionem ſuam iſtam perſuaſiſſet mihi, aut probaſſet validè: nam res ita quidem foret adhuc compendioſior, quàm eſt ſequentibus meam ſententiam. Sed aſſertionem ejus iſtam non capio: nulla enim enuntiatio ſimplex, quæ formam logicam habet, rejicienda eſt: tales autem ſunt iſtæ prioris generis omnes, poſtquam rectificatæ, inquam, fuerint: indeque adeò etiam in ſyllogiſmis, æquè ac alteræ illæ poſterioris generis, adhibentur: quod ſatis vidimus. Quod verò argumentum ejus attinet, quantum ego quidem aſſequor, duplex ibi error eſt. Primò enim ſi mutatio illa, de qua nobis hîc ſermo, fieri poſſet ſemper, non tamen apud me ſequeretur inde, prioris generis, quas dixi, enuntiationes eliminandas eſſe. Perinde enim eſt ac ſi dicere velles, haſce, *Petrus à me diligitur*, &, *Homo naturâ ſcire deſiderat*, facilimè mutari in iſtas, *Ego diligo Petrum*, &, *Scientia naturaliter deſideratur ab homine*; ac proinde priores illas exterminandas à logico, licet habeant in ſyllogiſmis uſum æquè ac poſteriores: quod rectè ita colligi, ego non credo. Sequeretur item, rejiciendas eſſe & has, *Hominem eſſe lapidem, falſum eſt, Homo falsò dicitur eſſe lapis*, quia nempe levi negotio transmutantur in hanc, *Homo non eſt lapis*, & per conſequens non valere ſyllogiſmum, *Quod falſum eſt, doceri in ſcholis non debet, Hominem eſſe lapidem, eſt falſum, Ergo hominem eſſe lapidem, doceri in ſcholis non debet*; qui tamen Danhauero erit bonus, ſicuti & mihi, præſertim ubi obliqua fuerint rectificata, & formaliter prolata omnia. Idem dico & de hiſce, *Deum eſſe, eſt demonſtrabile, Deum*

P. Molin. lib. 1. c. 2.

num. 22, 26. & 28.

Digitized by Google

eſſe trinum in perſonis, eſt articulus fidei. Deum non eſſe trinum, eſt hæreſis, Papam eſſe Antichriſtum, ſtultorum delirium eſt, Multos imperitare malum eſt, Terram moveri, ſententia Copernici eſt, & ſimilibus ſexcentis aliis, (quarum forma, juxta noſtram ſententiam, prorſus eadem cum forma iſtarum, *Hominem eſſe animal, eſt neceſſarium, Bis duo facere quinque, eſt impoſſibile.*) Facilimè enim & ex iis fieri pari modo poſſent aliæ, ubi ſubjectum non integra enuntiatio infinitiva, ſed terminus ſimplex ſeu ſolitarius. Et tamen, ideò non admittendas à logico in ſyllogiſmis, nemo perſuadebit mihi unquam; niſi quod, formandas logicè ipſas, urgeo. Deinde falſum apud me eſt, omnes eas, quarum ſubjectum enuntiatio infinitiva, transformari poſſe in alias, ubi ſubjectum ſit illud, quod enuntiationis ejus fuit ſubjectum. E millibus earum quæ non poſſunt, adducam ſaltem pauculas: *Enuntiatio hæc, Omnis homo eſt animal, eſt ſimplex & univerſalis affirmans, Hæc, Nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe, eſt primum principium.* Imò poteſt ſubjectum continere plures in ſe enuntiationes ejuſmodi. Verbi gratia; *Hæc, Si homo es, animal es, eſt enuntiatio hypothetica*; *Hæc, Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt animal, convertitur ſimpliciter in iſtam, Aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt homo*; *Hæc, Petrus eſt homo, contradicit iſti, Petrus non eſt homo*; *Hic ſyllogiſmus, Omnis homo eſt mortalis, Cæſar eſt homo, Ergo mortalis, eſt primæ figuræ*; *Hæc Scriptura, In principio creavit Deus cœlum & terram,* & ſic lectionem Bibliorum continuando, ac denique definendo in verbis Apocalypſis ultimis, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen*; *eſt verbum Dei.* Verum enimverò, ut amplius quid dicam, quàm hucuſque dixi; iſta duo enuntiationum genera, de quibus hîc ſermo, ita inſuper differunt, ut interdum una earum, quæ vera eſt, ſit falſa, poſtquam tranſmutata fuerit in alteram. Nam certè vera eſt, *Omnem numerum eſſe imparem, non eſt neceſſarium* (quæ in forma ſic habet, *Aliquid quod iſta, Omnis numerus eſt impar, dicit, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò verum*;) falſa autem, *Omnis numerus non eſt neceſſariò impar,* (quæ formaliter ſic effertur, *Omne aliquid quod*

eſt

Digitized by Google

eſt numerus, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò impar.) Vera item, *Omnem partem hominis eſſe corpoream, eſt impoſſibile,* (quam redigere in formam facile itidem erit;) falſa autem, *Omne aliquid quod eſt pars hominis, eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſſe corporeum.* Quod ipſum jam olim quoque ſic ſcripſi. Danhauerus verò negat, alterâ verâ alteram eſſe falſam; aſſerens contrà, vel utramque ſimul veram eſſe, vel utramque ſimul falſam; adeoque, diſtinctione unicâ rem confectum iri, cenſens. *Omnis numerus,* inquit, *vel ſumitur diſtributivè; & habet hunc ſenſum, Hunc numerum (ſcilicet ternarium) eſſe imparem non eſt neceſſe, Hunc numerum (ſcilicet binarium) eſſe imparem non eſt neceſſe, &c. & hoc ſenſu propoſitio compoſita* (prior) *eſt falſa: quid igitur mirum, ſi nec diviſa* (poſterior) *ſit melioris pretii. Vel, Omnis numerus, ſumitur copulatè, hoc ſenſu, Et hunc numerum, & hunc, & illum, eſſe imparem, non eſt neceſse, id eſt, Omnes numeros ſimul ſumtos eſse impares, non eſt neceſse; & hic ſenſus verus: neque minus etiam verum eſt, Omnem numerum, collectivè ſumtum, non eſse neceſsariò imparem.* Summa eſt; aut vocem *Omnis* ſumi diſtributive, & ſic in exemplo priore utramque eſſe falſam; aut collectivè, & tunc eandem utramque eſſe veram. Quod ipſum & reſpondet eodem modo ad exemplum noſtrum alterum. Quid jam hîc nos? Dilemmatis hujus disjunctivam, tantum abeſt ut concedamus, ut negemus potiùs. Nam vox quidem *Omnes,* quæ pluralis numeri, bifariam illum in modum accipitur; diſtributivè nempe, ut in vera hac, *Omnes homines ſunt animalia,* (quæ paulò magis logicè ita profertur, *Omnis homo eſt animal;*) & collectivè, ut in veris iſtis, *Omnes planetæ ſunt ſeptem, Omnes Apoſtoli ſunt duodecim,* quæ falſæ forent, enuntiatæ in ſingulari numero, & verò aliquantò magis logicè formantur hunc in modum, *Hic numerus planetarum eſt ſeptenarius, Hic cœtus Apoſtolorum conſtat ex duodecim;* unde patet, quantitate eas eſſe ſingulares. At verò in meo, de quo agimus, exemplo, non habetur *Omnes,* ſed potius in ſingulari numero *Omnis:* & de voce hac nego, quod Danhauerus ait, accipi ſic dupliciter: ſolum enim diſtributive mihi accipitur: adeoque hinc diſtinctio illa,

Sect. 2. num. 83.

[illegible] distributivè & collectivè [illegible]
[illegible] plana est, cum ei, [illegible]
[illegible] in medium adferebat, [illegible]
[illegible], tum ei, quam [illegible]
[illegible] Martinum [illegible]
[illegible] urgebat seriò ac [illegible]
[illegible] Hoffmannus, inter [illegible]
[illegible] Nam certè sicuti [illegible]
[illegible] nisi vera, ita nec *Omnes* [illegible]
[illegible] quod *totus*, quod contingit [illegible]
[illegible] quàm in Græco & Hebræo, sed
[illegible] pertinet,) aliter quàm distributi[illegible]
[illegible] talium quisquam dixit, collecti[illegible]
[illegible] utrasque veras easdem esse, *Omn*[illegible]
[illegible] *Apostolus est duodecim*; [illegible]
[illegible], *Omne aliquid quod est planeta*, [illegible]
[illegible], *Omne aliquid quod est Apostolus*,
quod est duodecim; idque inter alia ideo, ne
[illegible] scrupula subire animum possit, singularis nu-
[illegible] *Omne*, sic usurpatam, denotare unquam
[illegible]nem.) Non itaque concedo distinctionem in
[illegible] distributive, & *Omnis* collective sumtum. Et sic
[illegible] dilemma frustra est: quia nempe membro jam
[illegible] destitutum. Vnde nec mirum, valde mirificè
Danhauerum & loqui de utraque mea, quatenus *Omnis* ibi collective ipsi sumitur, & verificatum ire posteriorem, quæ nobis falsa. *Sensus prioris est*, inquit, *Et hunc numerum, & hunc, & illum, esse imparem, non est necesse.* Concedo; sed hic sensus est, sumta voce *Omnem* non collectivè sed distributivè; nempe quia Dicti, ut vocant, illius copulativum subjectum istud incipit ab *Et*; quæ conjunctio tunc tamen postulat quoque, ut ejusdem Dicti prædicatum, *esse imparem*, non dicatur semel tantùm de subjecti membris universis, sed singulatim de eorum quoque, (quicquid sit de enuntiationis totius prædicato illo, *non est necesse*;) unde & nemo, hujus, *Omnes planetæ sunt septem*, sensum dicet esse, *Et hic planeta, & ille, & iste, est septem*; contra grammaticam verò etiam foret, dicere ibi, *sunt septem*: dicendum enim sic potiùs, *Hic planeta & ille & iste, sunt septem.* Et nihilomi-

lomi-

lominus ipſe, continuans verba quæ jam audivimus: *Id eſt,* inquit, *omnes numeros, ſimul ſumtos, impares eſse, non eſt neceſse; & hic ſenſus verus.* Perperam itidem; nam ubi antea ſumſit *Omne* & in ſingulari numero & (licet ſibi minùs præſens) diſtributive, ibi jam ait idem eſſe, ac ſi ſumſiſſet in plurali *Omnes* collectivè: quæ non cohærent. Quanquam, ubi collectivè ſic ſumta voce rem enuntiare ſe putat, ne rectè quidem enuntiat; quum debuiſſet potiùs dicere, *Omnes numeros, ſimul ſumtos, facere unum numerum imparem, non eſt neceſse.* Atque ita necdum etiam inde probavit, veram ſic eſſe hanc, *Omnem numerum eſse imparem, non eſt neceſse.* Sicuti neque vera inde eſt, ſed aliunde; nempe quia, Quod non eſt verum, non eſt neceſſarium, At omnem numerum eſſe imparem, non eſt verùm, (quum videlicet binarius non ſit impar,) Ergo omnem numerum eſſe imparem, non eſt neceſſarium; (qui ſyllogiſmus facili negotio penitus formabilis.) Et nihilominùs pergit: *Neque minùs verum eſt, Omnem numerùm, ſcilicet collectivè ſumtum, non eſse neceſsariò imparem.* At neque in priore illa, neque in hac poſteriore, *Omnem* ſumitur collective, ſed utrobique diſtributive, ut dixi: & ſic poſterior hæc manifeſtè, non vera, ſed falſa potius eſt: quare? quia ſi, quicquid eſt numerus, non eſſet neceſſariò impar, tum nec ternarius foret neceſſariò impar; quod abſurdum. Sed nec ipſe, falſam tunc eam eſſe, negat. Error autem ejus ille eſt inde, quia non videtur didiciſſe è dialecticis accuratis, quomodo hîc in deſcenſu copulato, quem vocant, ſermo formandus: præfigit quippe *Et*, quod ſolùm rectè fit in deſcenſu illo altero copulativo ſub *Omni*, accepto diſtributivè: quanquam & copulativa ea particula hîc enuntiationes integras connectit, illic verò ſaltem diverſa ſubjecta unius ejuſdemque prædicati, quod vel pluralis numeri vel ſignificans multitudinem unam. Quo fit, ut ipſe diſtinguat etiam alibi inter collectivè & diſtributivè ſumtum ſubjectum hujus, *Omnis oculus eſt neceſsarius ad videndum:* quæ ſic formanda, *Omne aliquid quod eſt oculus, eſt aliquid quod eſt neceſsarium ad videndum:* ubi illud *Omne* diſtributivè tantùm accipiendum eſſe liquet, un-

ſect. 2. num. 71.

 de

Digitized by Google

ſect. 1. num. 25. & ſect. 2. num. 48. de & enuntiatio ipſa falſa: imò ut copulatè ſeu coll ctive etiam accipiat (quod nimis profectò mirum,) vo cem *Nullus*, in hac, *Nullus equus eſt neceſsarius ad equi tandum*, (quæ, quoad formam, ut jam ſæpius dictum planè monſtrum hîc eſt, & remittenda unicè ad gram num. 5, 6, 7, 8, 9, & 10. maticum, juxta cum informi etiam illa, *Quidam equu eſt neceſſarius ad equitandum*, ut ambiguitatem utrobi que is evolvat arte ſua, antequam permittat comparer in oculis logici,) & interim tamen deſcendat, *N hic equus, nec iſte, nec ille, eſt neceſsarius ad equitandum* deſcenſumque eum copulatum vocet: qui, ſi magis lo gicè efferatur, & quidem ſub formata demum hac *Omne aliquid quod eſt equus, eſt aliquid quod non eſt ne ceſsarium ad equitandum*, (quæ vera eſt ſine ambiguita te, habens contradictoriam, abſque ambiguitate quo que falſam, hanc, *Aliquid quod eſt equus, eſt aliquid quo eſt neceſsarium ad equitandum*, qua de re pluribus alibi,) ſic habet, *Et hic equus, & iſte, & ille, eſt aliquid quod non eſt neceſsarium ad equitandum*; eſtque tum, ut patet, non deſcenſus copulatus, ſed copulativus ſeu diſtributivus, ita tamen, ut, ob initiale illud *Et*, prædicatum revera non ſit unicum, ſed iterandum poſt unumquodque ſubjecti iſtius multiplicis membrum. Sicuti *Nullum* etiam collectivè accipit in illa, *Nullum tibi debeo thalerum*; quod magis adhuc mirandum, cum hujus vera ſyntaxis hæc demum ſit, *Ego debeo tibi nullum thalerum*: ſin verò dicas, *Nullus thalerus debetur tibi à me*, redacta ea in formam debitam, non admittat deſcenſum niſi diſtributivum, ut ex jamjam dictis manifeſtum eſt. Atque ita fixum permanet, non ſumi *Omnis*, ſeu potius *Omne*, ante verbula *aliquid quod eſt*, collective, ſed ſolum diſtributive. Quod ipſum ſufficeret quidem: placet tamen adhuc audire id, quod ait, ſin diſtributive ſumatur, falſam tunc eſſe, non poſteriorem tantum, (de quo inter nos ibi convenit,) ſed & priorem, (quam cur pro vera ego habeam, paulò ante expoſui.) Quomodo igitur probat mihi hoc è conceſſis? Ait quidem, ſenſum tunc ejus eſſe, *Hunc numerum ternarium eſse imparem, non eſt neceſſe, Hunc numerum binarium eſse imparem, non eſt neceſſe, & ſic deinceps*. At verò, licet con-

cedam,

Digitized by Google

cedam, rectè deſcenſum eum ſic fieri ſub Dicto, nequaquam tamen concedo, Modum illum, ſeu prædicatum illud primarium, toties iterandum: nam ſemel tantùm efferri debet, hoc videlicet pacto, *Et hunc binarium eſſe imparem, & hunc ternarium eſſe imparem, & ſic deinceps, non eſt neceſſe*; de tota enim copulativa illa is dicitur, non de quoque ejus membro. Quod adhuc magis manifeſtum erit, ubi legitimè ſic formaveris, *Aliquid quod iſta, Omnis numerus eſt impar, dicit, eſt aliquid quod eſt neceſſario verum.* Quamobrem prior hæc etiamnum vera omnino eſt. Eademque eſt ratio de exemplo altero. Annon igitur ita eſt, ut dixi, quum dicerem, prioris generis enuntiationes diſtinguendas eſſe à reliquis poſterioris generis, quia illis veris hæ nonnunquam falſæ? Sed contra Danhauerum pluribus hîc agere non eſt animus: maximè cum in reliquis, quod rem præſentem quidem attinet, nobiſcum ſentiat, ſuo ſaltem modo, contra ſcholas Ariſtotelicas; prout audivimus. Aliàs equidem, præter errores ejus illos, quos hîc, & partim quoque jam antè in Apologetico, detexi, monſtrare in libro ipſius eodem ſimiles poſſem, fermè innumeros.

Apologet. c. 5. n. 1, & 7. necnon c. 6. n. 2.

32. Conradus Horneius verò, Helmſteti ab Anno 1608, uſque ad 1617, mihi perfamiliaris, mei nunc ibidem Andabatæ collega, rejicit enuntiationes, tum ubi dixi, Modum, quem vocant, eſſe prædicatum, tum (contra Danhauerum ſimul,) ubi dixi, eundem eſſe prædicati partem; ac deinde, in ſententia Ariſtotelis perſiſtendum, contendit.

33. At quibus argumentis rejicit utraſque iſtas? Quia Modus in priore genere reſpiciat nexum terminorum ejus quod in ſcholis Dictum nuncupant, & ſic pertineat unicè ad ejuſdem copulam. Reſpondeo. Iuxta noſtram ſententiam reſpicit ibi non ſolum nexum illum, ſed totum Dictum, etiam quoad ejus quantitatem quæ deſumitur non à copula ſed à ſubjecto: eodem modo ut prædicatum quodvis aliud ſolet reſpicere ſubjectum ſuum integrum, ſeu omnes illius partes junctim ſumtas. Fruſtra igitur apud me argumentum hoc Horneii. Cui, miror, ſimplicem & abſolutam enuntiationem

Horn. ibid. lib. 3. q. 39. n. 4.

Digitized by Google

nem eſſe hanc, *Hæc propoſitio, Petrus eſt homo, eſt neceſſaria:* non verò item iſtam, *Quod hæc propoſitio, Petrus eſt homo, dicit, eſt neceſſarium*; quum (quicquid ipſe tandem diſtinguat inter Modum ſignatum & exercitum,) apud me certè nulla hîc ſit formæ diverſitas. Qui ſcio, poſteriorem ſic ab ipſo formari, *Petrum eſſe hominem, eſt neceſſarium*; ſed hæc nobis non eſt formata logicè; quia nec rectificatis iis quæ obliqua, nec additis addendis voculis artis formalibus. Porrò quod de poſteriore genere dixi, Modum eſſe partem prædicati, ad id ipſe:
Ibid. n.9. *Hoc verò*, inquit, *ne ſpeciem quidem aliquam veri habet.* Quare autem? *Certè enim,* pergit, *cum dico, Socrates neceſſariò eſt homo, ipſa vocum conſtructio non permittit, ut adverbium illud ad aliam vocem quàm verbum ſubſtan-*
Ibid. q. 40. num. 13. & 14. *tivum referatur.* Et pro ſe allegat Scotum. Sed neſcit, quid dicat. Exprimatur prædicatum formaliter, nempe ſic, *Socrates eſt aliquid quod eſt neceſſariò homo,* vel, ſi ita vis, *eſt aliquid quod eſt neceſſarium eſſe hominem,* vel certè, quod ego etiam adhuc malim, *eſt aliquid quod non poteſt non eſſe homo,* (ſic enim nec obliquitas ibi ulla, neque verbi ſubſtantivi imperſonalitas; quarum neutra logico inſervire idonea.) Ecce an conſtructio hîc nulla, aut nullus planus ſenſus? Contrarium equidem apud me evidens eſt. Qui repeto, quod ſupra etiam crebrò inculcavi, genuinum talis Modi locum ibi eſſe poſt prædicati quaſicopulam, ipſumque modum eſſe ibidem quaſiprædicati partem initialem. Auctoritatem Scoti (cujus opera omnia, juſſu Ioannis Baptiſtæ à Campanea, Miniſtri generalis Minoritarum, duodecim tomis edita Lugduni Anno 1639,) non adoro hîc ego; nullam quippe reſpiciens auctoritatem humanam, ubi rationi ſua permiſſa ſeu à nemine ſuſpenſa libertas. Præterea multò plures annos inſumſiſſe me puto huic negotio, quàm Scotum; ut qui defunctus (quemadmo-
cap. 3. dum ſcribit in ejus vita Lucas Waddingus,) ætatis anno 34, aut ad ſummum 43; quum ego, natus 7 Februarii 1590, in cartam conjiciens hæc 1641, agam quinquageſimum ſecundum. Imò Waddingus, præfatione quam inſcribit Iudicium de Scoti Quæſtionibus in Logicam; *Scripſit autem,* inquit, *Scotus iſta adoleſcen-*

tiori

Digitized by Google

riori ætate ; unde nihil mirum, quod provectiori ac maturiori ſtudio quadam correxerit, & in libris præſertim Sententiarum aliter tradiderit. Quicquid ſit, ſicuti non ſatis explicat ſe Scotus, quando ait, in Modali de ſenſu compoſito (quæ prioris apud nos generis) Modum, quum ſtat ante Dictum, eſſe ſubjectum, (neque enim id ſimpliciter verum, quia in hac, *Neceſſum eſt hominem eſſe animal,* modus eſt prædicatum, licet collocatus præpoſterè; quod ſi vero ita formes, *Quoddam quod eſt neceſſarium, eſt illud, Hominem eſſe animal,* modus ibi equidem ſubjectum eſt, ſed enuntiatio non amplius ea, quæ ex informi Ariſtotelicâ logicè fit priore noſtro modo, ſed inverſa;) ita ſubtilis profectò non eſt, ubi cum Ariſtotelicis pertendit, in modalibus propriè ipſi dictis, ſeu de ſenſu diviſo, modum ſpectare ad copulam: (quò ne quidem pertinet vocula *non*, quando vulgari more ipſam præcedit; quantò minus igitur modus ille?) quanquam rectè interim pronuntiat, non eſſe proprie modales, ubi modus pars ſit ſubjecti aut prædicati; ſunt enim ejuſdem hæ genii, quoad formam, cum Simplicibus aliis; neque datur modalium ſpecies ab iis diſtincta. Et verò ipſe quoque Scotus, ſicuti alteras, de ſenſu compoſito, ad Abſolutas rejicit, (licet in earum converſione id non obſervet,) ita pariter, quoad reliquas de ſenſu diviſo, nobis hîc accederet, ſcio, ſi viveret: fidem faciunt Scotiſtæ erudititiſſimi plures quos conſului. Non igitur probavit mihi Horneius, pertinere modum ad copulam. Quidni itaque maneam in ſententia mea, modum illum eſſe vel prædicatum vel prædicati partem? Qua ſententia præſuppoſita, ſi porro tunc efferantur omnia formaliter, immotum permanet, quicquid dixi de iis quæ præterea huc pertinent. Horneius interim videri queat ipſe ſibimet adverſari, docens, modum pertinere ad copulam, & perinde tamen eſſe, ſive ille ſtet in principio, ſive in fine, ſive in medio; niſi quod, non univerſaliter loquens, addit, *Tantum excipe, quum modus eſt Impoſſibilis, aut dictum negat: differunt enim hæc, Quoddam corpus impoſſibile eſt eſſe nigrum, puta nivem, &, Impoſſibile eſt quoddam corpus eſſe nigrum: item iſta, Nullum hominem neceſſe eſt eſſe doctum, quia omnes*

Scot. in 1. Prior. q. 25.

Horn. ibid. q. 39. num. 7.

omnes contingenter ſunt docti, &, *Neceſſe eſt nullum hominem eſſe doctum*. Nam, (præterquam quod in iis, ubi modum ſemper ad copulam pertinere ait, poſito quidem hoc non poteſt perinde eſſe ubinam ille ſtet, ſed in medio ante copulam locum ei proprium aſſignare ipſe debebat,) quum dicat ſatiſve innuat, in his duabus, *Impoſſibile eſt quoddam corpus eſſe nigrum*, *Neceſſe eſt nullum hominem eſſe doctum*; (ubi, omiſſo illo *nullum*, dicere potuiſſet, *Neceſſe eſt omnem hominem non eſſe doctum*,) modum non pertinere ad copulam ſolùm, ſed ad totum Dictum: neque verò diſtinguat inter eas, ubi modus præcedit, & in fine ſequitur, & ſic à Scoto diſſentiat, ut patet: contra ſeipſum concedere videtur, dari modales, ubi Dictum eſt ſubjectum, Modus verò prædicatum. Sed quomodo conciliaturus iſta ſit Horneius, viderit ipſemet. Illud cumprimis annoto, licet aliam illic eſſe enuntiationem ubi modus in principio, & aliam ubi in medio, rectè ſcribat Horneius, (concedo enim id omnino, idque ob diverſitatem ſubjectorum & prædicatorum,) non tamen diſtinctionem eam eſſe in ſolis illis, quas ipſe ita excipit, ſed & in omnibus reliquis. Neque enim eſt quod dicat, præ reliquis differre illas, quia, iis, quæ modum in medio habent, exiſtentibus veris, alteræ ſint falſæ: (ſicuti & falſas has eſſe concedo.) Id enim potiùs contrà ipſum pro me eſt: nam tantò adhuc major, ſaltem ibi, differentia inter eas, ubi modus prædicatum, & eas ubi ille pars prædicati. Quam proin differentiam cur, per Horneium quidem aut ſimiles, agnoſcere & urgere non mihi liceat, ejectis extra Logices pomœria Modalibus Ariſtotelicis, ubi modus innexus copulæ?

34. Et tamen ipſe adhuc doctrinam hîc Ariſtotelicam præfert. Parum aut nihil referret quidem, ſi facilior ſeu expeditior hæc foret, quàm eſt noſtra. At verò de Ariſtotelica & aſſeveramus nos & ſcribit ipſemet quoque, *in tota doctrina de forma tum propoſitionum tum ſyllogiſmorum nihil difficilius eſſe tractatione modalium*: quum contrà ego in noſtrâ facilitatem prorſus eandem videam, quæ eſt in Simplicibus aliis. Quid conſilii? Cauſa difficultatis illius tollatur; & meliùs habebunt omnia.

Ibid. q. 40. num. 1.

omnia. Meo autem judicio, cauſa ea duplex. Nam Ariſtotelicorum enuntiationes Modales conſtant ex Dicto & Modo, ut vocant: & dicti quidem terminus uterque eſt obliquus, modus verò quaſi verbum impersonale. Iam de enuntiationibus infinitivis iſtiuſmodi, *Mentiri non eſt viri boni*, *Stultitiam ſimulare loco, ſapientia prima eſt*, *Hæreſes eſſe oportet*, *Peccatorum me pœnitet*, Horneius ipſe, *In obliquis*, inquit, *propoſitionibus partes earum, ſubjectum & prædicatum, rectè diſtingui non poſſunt, atque adeò ea nec in ſyllogiſmo poni, niſi ad rectas propoſitiones reducantur*. At verò Modales iſtæ Ariſtotelicorum planè ſimiles eis, inquam ego, ſeu æquè informes intractabileſque, ubi agendum logicè; & nihilominus in eorundem ſcholis agnoſcuntur pro enuntiatis formaliter. Quid mirum igitur, ſi magnam ac multiplicem ea res difficultatem parit? Hoc unum eſt. Deinde modum volunt annexum eſſe copulæ: utut plærumque Dicto eum præponant, Horneius verò, licet inſcius hîc, ſeu quaſi in tenebris palpitans, fluctuet, quemadmodum intelleximus, illic nempe, ubi audivimus ipſum diſtinguentem inter eas quæ modum appoſitum habent copulæ, & eas ubi idem ſtat in principio. Vt jam nihil dicam de eo, quod & Modalium enuntiationum ipſarummet qualitatem quantitatemque ratione modi, diverſam à qualitate & quantitate Dicti, fingunt, dicentes, Neceſſarium & Impoſſibile eſſe modos univerſales, Poſſibile verò & Contingens particulares. At verò, in rectificatis certè & formaliter undiquaquè prolatis, copula debet eſſe libera, modus autem ille aut prædicatum tunc, aut pars prædicati: qualitas porro hæc Enuntiationum iſtarum non aliunde quam à copula illa, (quicquid ſit de qualitate prædicati aut partis ejus,) neque quantitas hæc earundem aliunde quàm à quantitate ſubjecti. Quid mirum, inquam, ſuperſtructam hypotheſibus iſtis, non ratione ullâ ſed unius Ariſtotelis, hominis ethnici, placito primo frivoloque nixis, doctrinam nil producere niſi tricas & ſpinas? Tollantur itaque, ut dixi, hypotheſes illæ malè conciliatæ: ſepultaque mentione & Dicti & Modi & Modalium ipſarummet, & pronuntiatis debito loco & in

Ibid. q. 12. num. 4.

Digitized by Google

debita forma vocibus omnibus, fiant vel prioris generis Enuntiationes, vel poſterioris. At quomodo? Ante omnia quidem eliminentur omnes illæ, ubi modus præcedit, & dictum ſequitur: licet Ariſtoteles ferme non niſi talibus utatur. Tum verò, vel fiat ſubjectum, eique includatur Dictum rectificatum, & Modus prædicetur ſolus: vel Dictum illud, ſic rectificatum, dividatur in totius enuntiationis ſubjectum & prædicatum,
num. 18, ac modus fiat pars prædicati hujus. Totam quidem
19.20, hanc rem forſan haud difficile erit penetrare è ſuprà ex-
21, & poſitis: quid tamen impedit, & iterare eam hîc, & in
ſeq. luce adhuc paulò clariore ponere? Priorem itaque modum quod attinet, Ariſtotelica & informis eſt oratio hæc, *Omnem hominem eſse animal eſt neceſsarium*: formata autem logicè iſta, *Aliquid quod eſt iſthac, Omnis homo eſt animal, dicens, eſt aliquid quod eſt neceſsarium.* Vbi pronomen initiale, *Aliquid,* eſt quaſiſignum quaſiſubjecti: *quod,* quaſiſubjectum: *eſt,* quaſicopula: *iſthac,* quaſiſignum quaſiprædicati, quo redditur ſubjectum totum ſingulare, (quod ipſum fiet ſingularuniverſale, ſi præpoſueris pronomini *aliquid* ſignum *Omne*:) *Omnis homo eſt animal*, enuntiatio quaſiprædicato incluſa, ſeu quaſiſigno ejus ſingulari demonſtrata, (quam tamen, quia informis adhuc eſt, formare etiam licebit eo mo-
num. 5. do quem ſuo loco deſcripſimus,) *dicens*, quaſipræd-
& ſeq. catum: & hucuſque à nobis recenſitæ ſubjecti partes: jam ſequitur copula *eſt*, & deinde prædicatum, ubi *aliquid* eſt quaſiſignum quaſiſubjecti ejus: quod, quaſiſubjectum illud: *eſt,* quaſicopula: *neceſsarium,* ſeu *neceſsariò verum*, quaſiprædicatum. Poteſt autem & ſubjecti quaſicopula & prædicati eſſe negata, ſicuti hîc quidem fuit utraque affirmans. Poſſunt item termini enuntiationis, voculâ *iſthac* (quæ in ſubjecto quaſiſignum quaſiprædicati) demonſtratæ, eſſe etiam alterius tum qualitatis, tum quantitatis. In prædicato autem verbula hæc, *quod eſt neceſsarium*, rectè quoque mutabuntur in iſta, *quod non poteſt non eſse verum.* Porro pro *neceſsarium* ſubſtitue *impoſſibile*, aut *contingens,* aut *poſſibile,* vel quodcunque etiam aliud: & eadem prorſus enuntiationis totius, quoad formam, erit ratio. Pro *quod eſt im-*

poſſibile

Digitized by Google

poſſibile tamen præſtabit dicere, *quod non poteſt eſſe verum:* pro *quod eſt contingens, quod eſt ſed poteſt non eſſe verum:* pro *quod eſt poſſibile, quod non eſt ſed poteſt eſſe verum:* aut, ſi voces iſtas aliter capis, aliis verbis explicare eas itidem apertiſſimè. Atque ita quidem ſe habet prior modus formandi eas quæ ſunt informes, ſeu inveſtiendi veſte logicâ. Iam quod attinet modum poſteriorem, qui ſolus uſum habet ubi agendum de doctrina Ariſtotelis; mirum profectò, præponere eum ſemper Modum Dicto, (cujuſmodi enuntiationes reverà non niſi ad prius genus ſpectant,) & accipere tamen ſuas Modales, ac ſi poſterioris eſſent generis; unde non poteſt non exoriri perplexitas longè maxima. Ergo ideò Modus dehinc in medio potius collocandus. Ibi tum verò nulla quidem difficultas in formandis iis, ubi apud eum & dictum & modus affirmans. Nam informes hæ, *Omnem*, vel *quendam*, vel *hunc, hominem neceſſe eſt eſſe animal*; formata verò univerſalis hæc, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal,* ſeu *quod non poteſt non eſſe animal*, vel etiam, *quod non poteſt quin ſit animal*; ſicuti & particularis ea mox erit, demto ſigno *Omne*, ſingularis autem, quando tunc pro *homo* dixeris *hic homo*. At vero ſi negatio hîc reperiatur, circumſpectione opus eſt. Sic Ariſtotelica & informis illa, cujus dictum negatum, *Neceſſe eſt nullum hominem eſſe animal*, quæritur, in quam redigenda hîc ſit formam logicam. Dicam. Pro, *nullum hominem eſſe animal*, (quam ferre ego nequeo, ob cauſas alibi memoratas, quare nec ulla talis ullibi in logicis enuntiationibus deinceps compareat velim,) dic potiùs, *Omnem hominem non eſſe animal*; poſteà modum loca ante negationem, ita videlicet, *Omnem hominem neceſſe eſt non eſſe animal:* hæc autem adhuc informis, tunc formanda ſic, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò non animal*, ſeu clariùs, *quod non poteſt eſſe animal.* Sic, ſi ſolus modus negatus, informis hæc, *Omnem hominem non neceſſe eſt eſſe doctum*, ita formatur, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſario doctum*, ſive, *quod poteſt non eſſe doctum.* Sin verò & modus & dictum fuerit negans, ut in informi iſta,

nu. 5, 6, 7, 8, 9, 10, & 31.

Omnem hominem non neceſſe eſt non eſſe doctum; forma eſto, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò non doctum*, ſive clariùs, *quod poteſt eſſe doctum*. Ita formandæ, inquam, univerſales quoque iſtæ: unde jam perſpicuum, quomodo formandæ informes & particulares & ſingulares; nempe ubi, ſi in informibus, pro *omnem hominem*, fuerit, *quendam*, vel *hunc, hominem*, omiſeris in formatis vocem *Omne*, erit particularis: ubi tunc verò, pro *homo*, dixeris *hic homo*, erit ſingularis. Pari ratione, ubi invenitur *impoſſibile*, informes ſunt, *Omnem, quendam, hunc, hominem impoſſibile eſt eſſe lapidem*: formata autem, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſſe lapidem*, ſeu meliùs, *quod non poteſt eſse lapis*. Informes item, *Omnem, quendam, hunc, hominem impoſſibile eſt non eſse animal*; at formata, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt impoſſibile non eſse animal*, ſeu magis adhuc logicè, *quod non poteſt non eſse animal*, vel etiam, *quod non poteſt quin ſit animal*. Informes itidem, *Omnem, quendam, hunc, hominem non impoſſibile eſt eſse mortalem*: formata, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt impoſſibile eſse mortale*, ſeu adhuc formaliùs, *quod poteſt eſse mortale*. Informes denique, *Omnem, quendam, hunc, hominem non impoſſibile eſt non eſse doctum*: at verò formata, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt impoſſibile non eſse doctum*, ſeu magis adhuc ſecundum artem, *quod poteſt non eſse doctum*. Ex formatis verò iſtis quatuor univerſalibus particularem fac, aut ſingularem, eodem quem diximus modo; ubi placuerit quidem. Porrò cum & *neceſſarium*, & *impoſſibile*, aliud ſit abſolutè tale, aliud conditionaliter, expreſſis verbis certi quid oportebit determines apud eos quibus cæteroquin enuntiatio tua ambigua, indeque obſcura. Quale quid & faciendum pari ratione in illis, ubi habetur *contingens* aut *poſſibile*: quarum vocum priorem diverſimodè ſumit Ariſtoteles, ut & Ariſtotelici, unà cum ipſo, poſteriorem. Interim, ſi ita ſumas ut nos diximus, attendendum ſaltem ad prædicatum cum ſui partibus, (nam ſubjectum hîc eodem modo ſe habet quo in præcedentibus, ubi erat *neceſſarium* & *impoſſibile*:) & informia

1. Prior. c. 3. & 13. lib. 2. de Interpret. c. 3.

Digitized by Google

[In]formia tum quidem prædicata hæc quatuor, *contingens [eſt] eſſe doctum, contingens eſt non eſſe doctum, non contin[gens] eſt eſſe doctum, non contingens eſt non eſſe doctum:* [In]formata autem, quæ reſpondent hiſce, iſta, *eſt aliquid quod eſt contingenter doctum,* ſeu *quod & eſt doctum & poteſt non eſſe doctum: eſt aliquid quod eſt contingenter non doctum,* ſeu *quod & non eſt doctum & poteſt eſſe doctum: eſt aliquid quod non eſt contingenter doctum,* ſeu *quod non & eſt doctum & poteſt non eſſe doctum: eſt aliquid quod non eſt contingenter non doctum,* ſeu *quod non & non eſt doctum & poteſt eſſe doctum.* Informia ſimiliter quatuor illa prædicata, *poſſibile eſt eſſe doctum, poſſibile eſt non eſſe doctum, non poſſibile eſt eſſe doctum, non poſſibile eſt non eſſe doctum:* at formata iſta, eis ordine eodem reſpondentia, *eſt aliquid quod & non eſt doctum & poteſt eſſe doctum, eſt aliquid quod & eſt doctum & poteſt non eſſe doctum, eſt aliquid quod non & non eſt doctum & poteſt eſſe doctum, eſt aliquid quod non & eſt doctum & poteſt non eſſe doctum.* Et tantum quoque de poſteriore modo Ariſtotelicas informes illas in formam redigendi: cui modo inſtitimus ideò nonnihil diutius prolixiuſve, quod Ariſtoteles eas, non tam prout priore modo, quàm prout poſteriore à nobis formantur, uſurpare videatur, in converſione præſertim & ſyllogiſmis; quippe ubi ei non Dictum eſt ſubjectum & modus prædicatum aut contrà, ſed termini, ex quibus Dictum conſtat, ſunt termini enuntiationis cujuſque ipſius. Sic, inquam, peragantur iſta, & faciliima ſtatim erunt omnia ac liquidiſſima: imo nec aliâ doctrinâ, quæ peculiariter de Modalibus Ariſtotelicis illis agat, opus erit: ſed ſufficiet ea, quæ tradit, noſtro modo, in genere naturam enuntiationum ac ſyllogiſmorum ſimplicium. Quod ipſum ſic à me fuit demonſtrandum.

35. Neglecto equidem eo, mirabilem Ariſtoteles nobis oppoſitionem exhibet, dum nempe docet, contrarias eſſe, & reſpectu Modi quidem, ut ipſe ſibi imaginatur, univerſales, *Socratem neceſſe eſt eſſe doctum, Socratem neceſſe eſt non eſſe doctum,* & hiſce altrinſecus contradicentes ſubcontrarias, tanquam, ob Modum illum negatum, forent particulares, *Socratem non neceſſe* *De Interpretat. lib. 2. cap. 3.*

Digitized by Google

eſt non eſse doctum, *Socratem non neceſse eſt eſse doctum*. Nam ſi legitimè formentur iſtæ quatuor, ſaltem quoad prædicatum, duæ priores quidem ſic, *Socrates eſt aliquid quod eſt neceſſariò doctum*, *Socrates eſt aliquid quod eſt neceſſariò non doctum*, duæ poſteriores verò ita, *Socrates eſt aliquid quod non eſt neceſſariò non doctum*, *Socrates eſt aliquid quod non eſt neceſſariò doctum*: annon patet confeſtim, (licet contradictoriæ reverà ſint quas ipſe tales eſſe ait,) ſicuti inauditum eſt, in ſingularibus ejuſmodi enuntiationibus (pudeat enim dicere ulterius, à Modo eſſe ipſas univerſales, aut particulares: quum æquè id ridiculum ſit, ac ſi dicam ego, univerſalem eſſe hanc, *Sol ſemper movetur*, & particularem iſtam, *Luna ſoli nonnunquam è diametro opponitur*: quæ res adhuc magis etiam clarebit, ubi pro *neceſse eſt* poſueris verba, quibus explicari idipſum diximus,) præter contradictorias dari & contrarias & ſubcontrarias, ita & prædicatum utriuſque prioris eſſe affirmans, quia quaſicopula ibi affirmans, & prædicatum utriuſque poſterioris eſſe negans, quia quaſicopula hîc negata: nec referre, quod in ſecundâ & tertiâ prædicato pars quaſiprædicati poſterior negetur, quia nequaquam inde negans ibi fiat quaſicopula ſecundæ, aut affirmans tertiæ: ac proinde nec duas priores eſſe contrarias, neque duas poſteriores ſubcontrarias? Sed neque Ariſtotelici ſaniorem tradunt oppoſitionem enuntiationum talium ubi ſubjectum in duabus prioribus univerſale, & in duabus poſterioribus particulare: nam & prior utraque prædicati itidem affirmati, & poſterior utraque ejuſdem negati: quod ipſum percipiet adhuc penitiùs, qui Ariſtotelicorum illorum oppoſitas examinaverit juxta ea quæ ſupra diſſe-
num. 21. ruimus ex noſtra ſententia. Prætereo, (quia referre piget,) quæ alii alia hîc venditant, cœci cœcorum duces. Æquipollentiæ verò Modalium Ariſtotelicæ, non ſunt logicæ, ſed diſcendæ, ſi non à grammatico, uſum communem ſequuto, ſaltem à doctore diſciplinæ, ad quem pertinet explicare philoſophicè, quomodo & quotupliciter accipiendæ voces, *neceſſarium, impoſſibile, poſſibile, & contingens*; (in eo enim ferè totum hîc ſitum,) vel certè ab utroque ſimul.

36. Ne-

Digitized by Google

36. Neglecto item illo, quod diximus, Ariſtoteles cum ſuis pari modo ſat peregrinam nobis hîc fabricarunt Converſionum doctrinam: tractantes, non prius quidem genus, ubi, ſi ritè formes, enuntiatio incluſa ſubjecto, & ipſorum Modus prædicatum, (de eo enim ſilent,) ſed ſolum poſterius. Quod antequam videamus, modum, ab ipſis primo loco poſitum, reponam ego medio, ut qui ei proprius illic debituſque unicè. Primò itaque hanc, *Omnem hominem neceſſe eſt non eſſe lapidem*, ajunt ſimpliciter converti in iſtam, *Omnem lapidem neceſſe eſt non eſſe hominem*; (ipſi ſic dicerent, *Nullum hominem neceſſe eſt eſſe lapidem, Ergo nullum lapidem neceſſe eſt eſſe hominem*; ſed vocis *Nullus*, ſemel à me proſcriptæ, memoria malim intereat penitus.) At utramque eam pronuntia tu formaliter ſic, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò non lapis, Ergo omne aliquid quod eſt lapis, eſt aliquid quod eſt neceſſariò non homo*: & ſtatim evidens erit converſionis monſtroſitas, puta ex termino utroque nimis enormiter variato: quum convertens potius eſſe deberet, quæ per contrapoſitionem eſt, *Ergo omne aliquid quod non eſt neceſſariò non lapis, eſt aliquid quod non eſt homo.* Sicuti & illa, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò non animal*, pari modo rectè convertitur in iſtam, *Omne aliquid quod eſt neceſſariò non animal, eſt aliquid quod non eſt homo*: & hæc, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſario animal*, in illam, *Omne aliquid quod non eſt neceſſariò animal, eſt aliquid quod non eſt homo*: & iſta, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò doctum*, in hanc, *Omne aliquid quod eſt neceſſariò doctum, eſt aliquid quod non eſt homo*; (quarum quatuor converſarum ſubjecta fuerunt affirmantia:) iſthæc itidem, *Omne aliquid quod non eſt animal, eſt aliquid quod non eſt neceſſariò homo*, viciſſim in illam, *Omne aliquid quod eſt neceſſariò homo, eſt aliquid quod eſt animal*; & ſic deinceps in reliquis, ubi convertendarum ſubjecta negata, vel quoque ſimul negatæ in prædicatis partes quaſiprædicatorum poſteriores; converſio enim illic ubique reciproca: eodemque prorſus modo ſe res habet, quum pro *neceſſario* poſitum *impoſſibile*; & ſic

1. *Prior. c.* 3.

Digitized by Google

bona converſio eſt, *Omne aliquid quod eſt equus, eſt ali- quid quod eſt impoſſibile eſse culicem, Ergo omne aliquid quod non eſt impoſſibile eſse culicem, eſt aliquid quod non eſt equus*, & vice verſa; quemadmodum iſta quoque, *Omne aliquid quod eſt adamas, eſt aliquid quod non eſt impoſſi- bile eſse durum*, (ſeu, *quod poteſt eſse durum*,) *Ergo omne aliquid quod eſt impoſſibile eſse durum* (ſeu *quod non poteſt eſse durum*,) *eſt aliquid quod non eſt adamas*, & vice verſa; atque ita etiam de aliis: imò & eodem modo comparatum eſt, quum habetur *contingens* aut *poſſibile*, quomodocunque tandem voces hæ capiantur, dummodo capiantur in convertente ut in converſa; indeque converſio bona itidem, *Omne aliquid quod eſt ambulans, eſt aliquid quod eſt contingenter motum, Ergo omne aliquid quod non eſt contingenter motum, eſt aliquid quod non eſt ambulans*, & vice verſa; quemadmodum & hæc, *Omne aliquid quod eſt lepus, eſt aliquid quod non eſt contingenter limax, Ergo omne aliquid quod eſt contingenter limax, eſt aliquid quod non eſt lepus*, & vice verſa; cujuſmodi plura hîc porro accumulari à nobis, nequaquam videtur eſſe opus. Et hactenus fuit converſio per contrapoſitionem, ſecundum noſtram ſcilicet ſententiam: quæ quidem converſio inſervit reducendis ad primam figuram ſyllogiſmis ſecundæ figuræ. Quod verò ſpectat ad converſionis genus alterum, cujus beneficio reducuntur ſyllogiſmi tertiæ, Ariſtoteles ejuſque ſectatores ita eam inſtituunt, *Omnem*, vel *Quendam, hominem neceſse eſt eſse ſubſtantiam, Ergo quandam ſubſtantiam neceſse eſt eſse hominem*: non profectò formaliter; quod manifeſtum fit, enunciatione hac utraque formaliter ſic prolatâ, *Omne* (vel ſine hoc ſigno univerſali,) *aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſsariò ſubſtantia, Ergo aliquid quod eſt ſubſtantia, eſt aliquid quod eſt neceſsariò homo*; an non enim quivis videt, convertentem debere potius eſſe hanc, *Ergo aliquid quod eſt neceſsariò ſubſtantia, eſt aliquid quod eſt homo?* (quæ & viciſſim convertitur in particularem illam præcedentem:). unde colligere facile erit, quomodo & convertere oporteat illas, quarum prædicatum, vel totum vel parte ſui poſteriore, aut ſubjectum etiam, negatum. Ariſtoteles negat qui-

dem,

dem, valere, ſi dicamus, *Quendam hominem neceſse eſt non eſse natum in Gracia, Ergo quendam natum in Gracia neceſse eſt non eſse hominem*, (quod facile crediderim, ob immutatos in convertente terminos,) indeque concludit, iſtarum priorem eſſe inconvertibilem: quum tamen, rectè priùs formata, convertatur omnino, ſed longè aliter; in hunc ſcilicet modum, *Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſsario non in Gracia natum, Ergo aliquid quod eſt neceſsariò non in Gracia natum, eſt aliquid quod eſt homo*; & vice verſa: imò, licet convertenda foret iſtiuſmodi, *Aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod non eſt neceſsariò natum in Gracia*, rectè adhuc tamen inferretur, *Ergo aliquid quod non eſt neceſsariò natum in Gracia, eſt aliquid quod eſt homo*; & vice verſâ. Eadem eſt ratio, ſi hîc fuerit vox *impoſſibile:* converſio enim optima hæc, *Omne aliquid*, vel *Aliquid, quod eſt lupus, eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſse agnum, Ergo aliquid quod eſt impoſſibile eſse agnum, eſt aliquid quod eſt lupus*; & vice verſa ex particulari hac ſequitur particularis illa. Horneius quidem ait, rectè colligi, ubi *Impoſſibile* præcedit, *Impoſſibile eſt quendam hominem eſse equum, Ergo impoſſibile eſt quendam equum eſse hominem*; bonam verò negat eſſe converſionem, ubi modus occupavit medium; nam *illa*, inquit, *Quoddam animal impoſſibile eſt eſse equum, vera eſt, loquendo de homine; falſa tamen iſta, Ergo quendam equum impoſſibile eſt eſse animal.* Sed errat utrobique. Prius enim quod attinet, utraque ibi enuntiatio eſt illius generis, cujus Dictum ſubjectum, Modus verò prædicatum, & ſic in fine collocandus potiùs quam relinquendus in principio: tales autem non ita converti oportere, ſed multò aliter, ſupra monuimus. Poſteriorem verò converſionem eſſe illegitimam, non eſt mirum; neque enim ex hac, *Aliquid quod eſt animal, eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſse equum*, ſequitur illa, *Ergo aliquid quod eſt equus, eſt aliquid quod eſt impoſſibile eſse animal*, ſed iſta potiùs, *Ergo aliquid quod eſt impoſſibile eſse equum, eſt aliquid quod eſt animal*, & vice verſa; quod Horneius ignoravit. Imò eadem quoque eſt ratio, ſi fuerit hîc vel *contingens*, vel *poſſibile:* licet multum ſe torqueat Ariſtoteles, agens de

lib. 3. *q.* 42. *n.* 13.

num. 28.

converſione earum quæ ſunt de contingenti: quo neutiquam opus erat. Vnicum exemplum ſufficit, *Aliquid quod eſt metaphyſicus, eſt aliquid quod eſt contingenter geometra*; hæc non convertenda ſic, *Ergo aliquid quod eſt geometra, eſt aliquid quod eſt contingenter metaphyſicus*, (nimis namque variati hîc termini,) ſed ita, *Ergo aliquid quod eſt contingenter geometra, eſt aliquid quod eſt metaphyſicus*; & vice verſa. Quæ omnia, converſionem tam per contrapoſitionem quàm alteram illam concernentia, vel ex iis quæ ſupra de converſione Simplicium

num. 9. & 11. cæterarum propoſuimus, proprio forſan marte deducere ſecum quivis potuiſſet; additis præſertim iis, quæ de reductione ſyllogiſmorum ſecundæ tertiæque figuræ

num. 27. & 29. Modalium (ſi vocare ſic mihi tamen adhuc licet,) poſtmodum quoque indicavimus, vel adhibitâ inſuper ex-

num. 18, 33, & 34. poſitione magis logicâ illâ, quam pariter ſuggeſſimus alicubi, *neceſſarii*, *impoſſibilis*, *contingentis*, & *poſſibilis*.

37. Syllogiſmos ex enuntiationibus, ubi Dictum ſubjectum & Modus prædicatum, non habet Ariſtoteles; ſed ſolùm eos, qui conſtant ex altero illo propoſitionum genere: ubi Modum, ab ipſo quidem ſemper locatum abſurdiſſimè in principio, poſiturus ego itidem in medio. Saltem verò tunc unicum hîc tradit,

1. *Prior.* c. 9, 15, & 21. cui calculum adjicio; nempe ſi Major ſit univerſalis &, ut Ariſtotelici loquuntur, modificata, Minor verò de ineſſe, ſequi, in prima figura ac tertia, Concluſionem ita modificatam, ut erat Major. Quanquam ipſe ita profert, *Omnem hominem neceſſe eſt eſſe animal, Quidam philoſophus eſt homo*, vel in tertia, *Quidam homo eſt philoſophus, Ergo quendam philoſophum neceſſe eſt eſſe animal*; quum forma logica hæc ſit, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal, Quoddam quod eſt philoſophus, eſt aliquid quod eſt homo*, vel in tertia, *Aliquid quod eſt homo, eſt quoddam quod eſt philoſophus, Ergo quoddam quod eſt philoſophus, eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal*; eodemque modo enuntianda omnia, ſi pro *neceſſariò* ibi eſſet *contingenter*. Tricantur quidem hîc aliqui, ut in veteribus Theophraſtus & Eudemus, in recentibus Cornelius Martinus & ſimiles; quibus videtur

falſa

falſa concluſio deducta è talibus præmiſſis, *Omnis philoſophus eſt neceſſariò doctus, Quidam homo eſt philoſophus*, vel, ſi ſit in tertia, *Quidam philoſophus eſt homo, Ergo quidam homo eſt neceſſariò doctus.* Sed cur non bono animo ſunt, ut hîc quidem Horneius? Major enim vera demum eſt, ſubintellectis poſt prædicatum verbis hunc in modum, *Omne id quod eſt philoſophus, eſt aliquid quod eſt neceſſariò doctum, poſito quod ſit philoſophus, aliàs verò non*: jam ſubſume in prima, *Quoddam quod eſt homo, eſt id quod eſt philoſophus*, vel in tertiâ, *Id quod eſt philoſophus, eſt quoddam quod eſt homo*: & rectè concludes, *Ergo quoddam quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò doctum, poſito quod ſit philoſophus, alias verò non.* Eodemque modo diſtinctè explicandum *contingens*: imò *impoſſibile* quoque & *poſſibile*, nam & horum duûm uſus eſt in talibus ſyllogiſmis pari ratione. Hanc, inquam, Ariſtotelis doctrinam, juxta cum Horneio, comprobo. *Lib.* 4. *q.* 12.

38. Cæteroquin ipſe, neglecto aut ignorato eo quod toties antè dixi, de ſyllogiſmis modalibus otioſè ſpeculatur plurima, capita ferè integra quatuordecim ei rei inſumens. In prima quippe figura, ait, primò quidem, ex utraque præmiſſa de neceſſe, concluſionem ſequi de neceſſe: ex utraque verò de contigente concluſionem etiam de contingente; item ex majore de ineſſe & minore de neceſſe, concluſionem de ineſſe; ex majore verò de contingente & minore de neceſſe, concluſionem de contingente. Indoctè equidem: nam in Minoris prædicato hîc ubique ſuperfluus eſt Modus, cum non reperiatur in ſubjecto Majoris; quod ſatis apparet vel ex unico iſto, cujus propoſitiones Ariſtoteles quidem ſic effert, *Omnem hominem neceſſe eſt eſſe animal, Regem neceſſe eſt eſſe hominem, Ergo regem neceſſe eſt eſſe animal*, nos verò logicè demum enuntiamus hoc pacto, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſſariò animal, Aliquid quod eſt rex, eſt aliquid quod eſt neceſſariò homo, Ergo aliquid quod eſt rex, eſt aliquid quod eſt neceſſario animal.* Annon enim Minor debebat eſſe talis, *Aliquid quod eſt rex, eſt aliquid quod eſt homo?* Aut poni certè vox *neceſſariò* in Majoris quoque ſubjecto debuiſſet, in *1. Prior. cap. 8. & ſeq. uſque ad 22.* *c. 8, 14, 9, & 16.*

hunc puta modum, *Omne aliquid quod eſt neceſſariò ho-*
num. 24. *mo:* (quod ipſum & nos jam antè quoque ſubindicavi-
mus, & Horneius inſuper videtur agnoſcere, ubi ait:
lib. 4. *Rectè, ut cenſemus, ex poſſibilibus & contingentibus conclu-*
q. 13. *detur contingens, tam in prima quam in tertia. In prima;*
num. 6. *quia expreſſè eſt ipſum dictum de omni: Omne quod poteſt*
eſſe A; poteſt eſſe B, Sed C poteſt eſſe A, Ergo C poteſt eſſe
B. Imo concludit planè ut de ineſſe. In tertia autem, quia
omnes iſti modi ——per ſyllogiſmum expoſitorium proban-
tur: ſignetur enim B, & dicatur, Hoc B poteſt eſſe A, Hoc
idem B poteſt eſſe C; Ergo aliquid quod poteſt eſſe C, poteſt
eſſe A. Nihil eſt manifeſtius. Quanquam Horneius ma-
gis formaliter proferre argumentum utrumque, &
omittere illud de ſyllogiſmo expoſitorio potuiſſet.)
Quatuor igitur ſunt termini. Idem judicium eſto de
c. 15, & 16. reliquis, quos dixi, caſibus tribus. Ait ſecundo, Minore
contingente, ſi Major ſit de ineſſe, vel affirmans de ne-
ceſſe, concluſionem ſequi de contingit: ſin verò negans
de neceſſe, ſequi concluſionem de ineſſe. Indoctiùs ad-
huc. Redige enim partes in formam, & deprehendes,
in Minore hîc redundare itidem vocem *contingenter*, &
inſuper in prædicato concluſionis deſiderari *neceſſariò:*
atque ita non quatuor ſed quinque eſſe terminos. Ait
Ibid. inſuper tertiò, conſequentiam horum quidem ſyllogiſ-
morum ſecundi generis eſſe imperfectam, quia ſtabi-
liendam deductione ad impoſſibile. Omnium profectò
indoctiſſimè. Ridiculum enim prorſus, figuræ primæ
ſyllogiſmos dari imperfectos. Vt taceam, aliquos eo-
rum reduci ab ipſo, ipſiuſve aſſeclis, per impoſſibile ad
figuram ſecundam, aliquos etiam ad tertiam, primâ
imperfectiorem utramque: quæ res nimis indigna phi-
loſopho.

39. Et ſic quidem procedit Ariſtoteles in prima illa
figura. Quæ cum ſit lapis Lydius duarum cæterarum:
ſatis jam ſuppeditavi, unde judicare de ipſius hîc quo-
que mirabili doctrina proclive ſit: junctis maximè iis,
num. 27, & 29. quæ ſupra tradidimus. In ſecunda enim ex puris neceſ-
ſariis ita infert, *Omnem hominem neceſſe eſt eſſe animal,*
cap. 8. *Lapidem neceſſe eſt non eſſe animal, Ergo lapidem neceſſe*
eſt non eſſe hominem. Nugæ. Redigantur ſingulæ pro-
poſitio-

poſitiones in formam ſic, *Omne aliquid quod eſt homo, eſt aliquid quod eſt neceſsarium eſse animal, Lapis eſt aliquid quod eſt neceſsarium non eſse animal, Ergo lapis eſt aliquid quod eſt neceſsarium non eſse hominem.* Annon quinque hîc termini, adeoque affirmantes omnes, (licet prædicatum Minoris & Concluſionis, quoad quaſiprædicati partem poſteriorem, ſit negatum,) eorundemque unus, nempe prædicatum concluſionis, redundans voce *neceſsariò*, quum nempe hæc non fuerit in ſubjecto Majoris? Quod ſi verò concluſio formaliter inferenda, annon tunc ita colligendum, *Omne aliquid quod eſt neceſsariò homo, eſt aliquid quod eſt animal* (vel *neceſsariò animal,*) *Lapis eſt aliquid quod non eſt animal* (vel *neceſsariò animal,*) non verò ſic, *Lapis eſt aliquid quod eſt neceſsariò non animal,* (neque enim hîc prædicati quaſicopula negata:) *Ergo lapis eſt aliquid quod non eſt neceſsariò homo:* non autem, *Ergo lapis eſt aliquid quod eſt neceſsariò non homo,* (quamdiu, inquam, ſubjectum Majoris non fuit, *Omne aliquid quod non eſt neceſsariò non homo.*) Sic in eâdem ſecundâ, juxta ipſum, ex Majore *cap.* 10. negativa de neceſſe, (ut eſt videlicet ei hæc, *Omnem hominem neceſse eſt non eſse lignum*, quæ nobis contrà prædicati affirmati,) & Minore affirmante de ineſſe, ſequitur concluſio, ſimilis Majori, de neceſſe: ex Majore autem affirmativa de neceſſe, & Minore negativa de ineſſe, concluſio de ineſſe. Nugæ itidem. Nam, quod caſum quidem priorem attinet, aut in prædicato & Majoris & Concluſionis vox *neceſsariò* ſuperfluit, aut in prædicato Minoris & ſubjecto Majoris deeſt: quantum vero ad poſteriorem, aut ſuperabundat eadem vox in prædicato Majoris, aut deſideratur in prædicato Minoris. In tertia, itidem ut in prima, ex meris neceſſariis infert neceſſarium, & ex meris contingentibus con- *c.* 8. & tingens. Indoctè itidem. Nam aut ſuperfluere modum 20. ipſorum in prædicato Minoris, aut deeſſe in ſubjecto concluſionis, patet ſtatim atque debitè formata fuerint omnia. Percurrere ſic & reliqua poſſem, quæ de ſyllogiſmis ſecundæ ac tertiæ figuræ ipſe, meo judicio, æquè miſere determinat. Sed ne quis putet, aut ita hebetem videri mihi lectorem ſcripti hujus, ut non ex hactenus dictis

dictis perſpicere proprio marte illa queat, aut ita deſidem, ut intendere tantiſper mentis oculos pigeat labori quidem, ſatis etiam tædioſo, certè non omnium amœniſſimo, parcere lubet: ſaltem donec ſubire me eum poſtulent, qui, negotiis aliis diſtricti, executere Ariſtotelem haud poſſunt ipſimet. Ibi tum enim paratus ero, non ad iſtud ſolùm, ſed & ad oſtendendum, tum quod Ariſtoteles malè reducat ſecundæ ac tertiæ figuræ ſyllogiſmos ſuos, tum quod non reddat veras legitimaſve cauſas rejiciendi ſyllogiſmos nonnullos alios quos meritò rejicit.

40. Viden jam, difficultatum perplexitatumve iſtarum, ſeu errorum potiùs ingentium, in commentationibus Ariſtotelis de Modalibus, nullum fore finem aut modum, niſi aboleantur duæ præſertim hypotheſes illæ, unde pendent reliqua: Infinitivarum earum enuntiationum formam eſſe logicam, &, Modum, quem vocant, pertinere ad copulam? Viden item à parte altera, æquè facilia ſeu liquida eſſe omnia, atque ſunt in negotio de Simplicibus cæteris, vulgò Abſolutis dici ſolitis, adeoque fruſtra tractationem peculiarem aliam requiri; ſi ſaltem, & Modi & Dicti & Modalium appellatione per orbem terrarum exſtinctâ, formare contrà placeat Ariſtotelicas Modales iſtas, prout nos hucuſque ſuaſimus formandas eſſe? Quod ipſum dicentem me qui audit, is mente ſecum oportet reputet, quod
num. 5. & 16. aliàs notari juſſi: non neceſſariò ſemper exprimi debere voculas illas formales, ſed ſaltem deſignari à nobis eas, ut ſciatur, qua veſte logica induendæ Modales Ariſtotelicæ, quum tricas nebulaſve excitare in mente noſtra occipiunt. Nihil certè mali eſſe cenſui, ſi, ut antehac alibi in capite de Reſpondentis & Opponentis partibus, ita hîc jam in membro logices de Enuntiationibus & Syllogiſmis ſimplicibus, probatum darem id, quod
Apolog. cap. 6. num. 4. ſcripſi in Apologetico contra Andabatam, excoli diſciplinam eam poſſe amplius à Chriſtianis, quam exculta fuit ab ethnicis, qui mihi videntur dediſſe tantummodo initium rei aliquod. Imò quum non rarò Ariſtotelicis in ore eſſe conſueverit illud, *Caput de Modalibus ne attingat aſinus*, (quaſi nempe ita mirè ſubtilis foret

hîc

Digitized by Google

hîc doctrina iſtius philoſophi, ut non niſi eminentiſſimi acuminis ingenia myſteriis illis, ceu pluſquàm divinis, idonea imbui;) dicamne ego ingenuè quod ſentio? Ariſtoteles equidem ſatis prolixam laborioſamque huic rei operam impendit, ſed prorſus inanem, imò generi humano noxiam penitus; quia non acuentem ingenia, ſed obtundentem ſpinoſitatibus abſonis ferè perpetuis, atque ita maximè corrumpentem. Vin dicam clarius? Non exſeruit ipſe ingenium ſuum, ſed oſcitare permiſit, cum de Modalibus ita philoſopharetur. Capiat hoc, inquam, ſibi defenſor hîc ejus tam ſolicitus, Conradus Horneius.

41. At, quum cauſa iſta non ſit Horneii propria, ſed ei communis cum Ariſtotelicis cæteris omnibus, cur non & contra univerſos hoſce me ſcribere profiteor? Quia, qui in hiſce vivi me audierunt, non ſolum non contradicunt mihi, ſed & ſcriptum hoc meum, libenter vident publici juris fieri: unde & polliceor mihi, idem facturos eos, qui in vivis adhuc itidem, ſed me necdum audierunt: imò de mortuis inſuper, adeoque Ariſtotele ipſo (quem ſolum non potui non nominare, quum de ejus Modalibus quæſtio noſtra ſit,) auſim dicere, amplexaturos eos meàm ſententiam fuiſſe, ſi vel paululum compertam habuiſſent. Scholaſticorum ſanè nonnulli, pauculis abhinc ſeculis, cœperunt ſe tollere humo; ubi diſtinxerunt inter Modales de dicto, & de re; quarum illas pars eorum vocat Modales de ſenſu compoſito, has Modales de ſenſu diviſo: cujus diſtinctionis alicubi ſemina Ariſtoteles quoque ipſe, licet obſcuriuſculè, & ſui immemor, jeciſſe deprehenditur. Sed exiguum illud eſt. Nos cœptum eorum honeſtum & laudabile continuare in Commentariolo, Ienæ ante annos viginti quatuor concinnato, nunc verò lucubratione hac perficere, nonnihil tentavimus. Cui lucubrationi adjici dehinc poterunt, ſi quæ meliora aut plura, ſive à me ſive ab aliis, invenientur. Neque enim is mihi ſum ego, qui, exhauſiſſe me hîc ſapientiæ divinæ ipſius, aut quoque ignorantiæ humanæ, abyſſum, ſomniem; culex, oceanum. Certè etiam, cereus in verum flecti, monitores eruditos audiam libentiſſimè.

De Interpretat. lib. 2. c. 3. & 1. prior. cap. 3.

42. At

Digitized by Google

42. At cur è tanto Ariſtotelicorum numero ſolum Horneium, quo nemo mihi conjunctior amicus olim, & nominandum delegi & quaſi cenſurâ notandum? Occaſionem dedere, quos initio ſcripti hujus memoravi. Ediſſeram nunc verò & cauſam, eamque duplicem. Vna eſt; quia Horneius ipſe meam de Modalibus ſententiam, (licet necdum ita plenè tunc, ut jam hîc, diductam,) & ſcivit, & literis dein privatim ad me Vinariam datis, imò Diſputationibus logicis, quæ Helmſteti, ipſomet non conſcio tantùm ſed & volente, quicquid jam contrà ſcribat in præfatiuncula Exercitationum logicarum, (quæ Francofurti prodiere Anno 1631,) poſt editionem primam denuo in publicum emiſſæ Anno 1619, & comprobavit & ſimul deprædicavit his verbis, editioni demum iſti ſecundæ inſertis;
Diſput. 7. th. 50. *Conatus nuper eſt aliam viam, quam hactenus uſitata eſt, inſiſtere amicus noſter eximius, Bartoldus Nihuſius, in Commentario de Enuntiationibus & Syllogiſmis Modalibus; nec infeliciter, ut putamus; qui tam Enuntiationum converſiones & æquipollentias, quam Syllogiſmorum formam in Modalibus tum demum rectè expediri poſſe ſtatuit, ſi propoſitiones modales omnes ad abſolutas redigantur, idque ipſe eleganter facit*; poſtea vero hujus rei pœnitentia tactus, (ex quo nempe, Catholicum me factum, indignè tulit,) non ſolum Diſputationes illas, eâdem, quam dixi, Exercitationum præfatiunculâ, *quiſquilias* vocavit, cæteroquin ita prorſus ignominioſum titulum haud promeritas; ſed & in Inſtitutionibus logicis, apertè palinodiam canens, refutare meum illum Commentariolum aggreſſus fuit; haud quidem nominans ibi me, (ut nominavit Danhauerus,) ſed ita depingens
lib. 3. q. 39. num. 8. & q. 40. num. 5, & 12. tamen, ut non niſi me digito monſtraſſe videri queat, atque ita perinde ſit, ac ſi nomen meum exertè manifeſtaſſet: nec verò pro Ariſtotele contra me rationem ſolidam ullam attulit. Annon itaque ipſemet me ad mei defenſionem exſuſcitavit? Accedit cauſa altera, quod ſcilicet inſuper nonnulli, ab Eccleſia Catholica alieni, objecerint hoſtiliter, poſtquam, fiſus meo ſolius ingenio, deſeruiſſem Ariſtotelem in negotio de Modalibus, erroris me ac temeritatis convictum eſſe evidentiſſimè

tiſſimè ab Horneio in Inſtitutionibus logicis; æquè autem temere, meo ſolius judicio fretum, & ſic peccatum illud peccantem unde hæretici dicuntur Catholicis, tranſiiſſe olim, à ſequentibus unicè Scripturas Lutheranis, ad Catholicos illos; quæ res conſiderationis multò gravioris profundioriſque; & ergo vel ab eodem Horneio, vel ab aliis quoque, convictum ibi non minus facile evidenterque iri erroris ac temeritatis: ego vero, in negotio de Modalibus ab Horneio me convictum, nequaquam ſentio, ut dixi; & quamdiu id ipſe in mea conſcientia non ſentio, inſipienter ac temere illi, convictum me, clamitant, poteſtatem de me ſic judicandi ſumentes, quæ non ipſis, ſed in tali caſu mihi potius competit. Effecerunt itaque hi, ut non ſolum de Modalibus contra Horneium reſcribam, ſed & nomen ejus exprimam; eâque re teſtatum ipſis faciam, nequaquam formidare me objectiones de rebus ejuſcemodi logicis Horneianas, & multò adhuc minùs pœnitentiâ deſertæ ſcholæ Ariſtotelicæ in capite de Modalibus duci, licet obſequutum illic non niſi rationis meæ, ſeu luminis naturæ, divinitus mihi impertiti, magiſterio; præſertim quum, nil me egiſſe quod malum aut illicitum, pronuntient viri graviſſimi ingenioſiſſimique plures. Hæ, inquam, duæ cauſæ me ad ſcribendum ſic libellum hunc impulerunt. Quia verò Horneium nulla injuria afficio, ſed honore potiùs ac beneficio, dum non tam Ariſtotelicos itidem alios, quam ſolum nominatim ipſum (familiaritatis noſtræ, quum adoleſcentes eſſemus, intimæ omnino adhuc memor,) & benignè quidem ſincereque informatum eo; tantum abeſt, ut indignari meritò quidquam poſſit, ut gratias potius agere publicè mihi teneatur, & cumprimis profiteri ſimul, ſententiam de Modalibus meam, quam laudando ſemel ratam habuit, immeritò poſtmodum à ſe fuiſſe inpugnatam atque exploſam. Faciat igitur ſic; & non modo nullum id ipſi dedecus erit, ſed gloria potius multò maxima, præſertim apud ſapientes; qui profectò non ei inſultabunt, ſed gratulabuntur adplaudentque, ut planè exiſtimo, manibus ac pedibus: ingenio enim libenter cedere, in rebus clarè tandem expoſitis, non puſil-

Digitized by Google

lorum ſed magnorum eſt. Imo cum peccatum de ſit, juventutem detinere in tricis, iiſque ſic eaſſuefacere, & non remittere potiùs abſque mora ritatem evidentem ac perceptu facilem; conſcienoque ipſum adiget, ſpero, ad corrigendum hîc, ſuas illas Inſtitutiones, una cum decerptis anteà ade Exercitationibus, tum Compendium etiam, in uſum adoleſcentiæ, quæ his ſtudiis primum imbuenda, concinnatum ab ſeſe Anno 1623.

43. Interim quod illi una dicebant, & judicio privato, quod fallibile,ſeu more hæreticorum qui Catholicis ipſiſmet damnatus, factum me quondam è Lutherano Catholicum, & erroris ac temeritatis convictum facile hîc quoque iri ab Horneio aut ſimili quopiam; ad iſta duo, licet reſpondere hîc non tenear, reſpondebo tamen, ſaltem obiter ac brevibus. Qui fidem noſtram Catholicam, prius creditam, poſteà deſeruerunt, ut Lutherus & ſimiles, hi quidem ſine omni dubio non niſi ſuis ingeniis, utut ſibi quoque cenſitis hîc fallibilibus, fidentes, Eccleſiæ,pro doctrice ac judice ſua ſuprema in terris ac ſola infallibili antè agnitæ, ſeſe judices auctoritate privatâ, & ſic temeritate ſumma, more perduellium, conſtituere, adeoque eandem Eccleſiam condemnare, imò ſententiam ſuam condemnatoriam exſequi, præſumſerunt; Scripturam divinam prætexentes equidem, ſed non modo in univerſum nihil inde ad Eccleſiæ captum demonſtrantes, (quum ſcilicet contra fidem noſtram ibi reperire ſit nihil,) verum & ſuammet (perinde atque aliorum qui homines itidem,) in Scriptura interpretanda fallibilitatem fatentes. Rectiſſime hi itaque ſic taxantur à Catholicis. Et verò fateor quidem, viribus tantum ingenii propriis, ſive abſque ſupernaturali aliqua extraordinariave Dei gratiâ, penetraſſe me tandem indignitatem ejus rei abſurditatemque ſummam; ſicuti vel ab ethnico eam facile penetratum iri confido: fateor item, judicaſſe me porro inde mecum naturaliter, teneri & primos illos, & quicunque ſucceſſerunt in eorum locum, atque ita me quoque, abſurditate impietateque iſtâ valere juſsâ, ad rempublicam Chriſti in terris ſpiritualem iſtam, ſine

ulla

Digitized by Google

ulla juſta ratione ſic deſertam, reverti, ejuſque judicio judicium proprium denuo ſubmittere, donec deſerendi quidem ipſam non occurrant rationes fortiores, magiſve honeſtati aut bonis moribus conformes: quem in modum & ab ethnico, non prorſus rudi, judicatum hîc itidem iri putem: neutrum enim tam arduum, ut ejus captum ſuperet; (licet myſteria, quæ tantum credenda ſunt, ſuperent, & fides, qua creduntur, in verè Chriſtianis donum Dei ſupernaturale ſit; neutrum enim, opinor, efficiet, ut inhabilis inde ipſe ad judicandum futurus ſit.) Hæc, inquam, fateor ſanè; nec tamen inde ſequitur, Lutheranum, qui, ad Eccleſiam ſibi redeundum eſſe, judicet, perinde ſequi privatim ſuum ſolius caput, ac nos dicimus feciſſe Lutherum & ſimiles, quum ab ea deficerent. Sint enim cives duo privati, quorum unus à republica ſeculari, ſecundum leges, partim ſcriptas, partim non ſcriptas, judicare ſolitâ, diſceſſionem faciat, ſibique poteſtatem ſumat judicandi ſecundum leges eaſdem ſcriptas, & nullo loco habendi non ſcriptas; alter verò à ſtoliditate eâ (inſtillatâ ſibi quondam, primam ætatem exigere inter meros id genus perduelles coacto;) reſipiſcens, judicium ſuum privatum ſubjiciat judicio reipublicæ, à ſuis educatoribus & ſociis ita deſertæ ac ſpretæ: an, inquam, hi duo ejuſdem ſceleris rei, aut, ut ovum ovo, ſibi inter ſe ſimiles? At verò, juxta noſtram ſententiam, eadem hîc eſt ratio; quicquid reprehenſoribus meæ perſonæ illis tandem videatur. Qui, ſicuti non cenſentur mihi ſapere, ita nec reſponſum prolixius merentur ad prius iſtud.

44. Iam, quod poſtea huic addebant, erroris me in fide illa noſtra Catholica, ac temeritatis, facilè convictum iri ab Horneio aliiſve, itidem ut convictus eſſem in doctrina de Modalibus; de eo ita habe. Si non aliter illic me convincet Horneius, quàm convicit hîc, ſalva omnino res eſt. Sicuti enim alibi petitionis principii & circuli non convicit noſtros, (quod oſtendi in Apologetico,) ita neque hîc me errati ullius in controverſia illa logica: cujus rei teſtis eſto præſens hæc diſſertatio. Et verò comminatio eorum ridicula etiam eſt: cum ego, multoties, mea ſponte, petierim à *Apologet. c. 5. n. 7. & 8.*

Lutheranis, ut, vel in unico, convincere me, ſi poſſent, dignarentur, & Scripturæ quidem dicto ſaltem unico, (quod, licet exiguum videri queat, ſatis tamen fore, proteſtatus expreſsè fui,) nemo autem eorum id facere aggreſſus unquam ſeriò ac rite fuerit hactenus. Vt enim alia taceam, quæ contigere privatim; annon Anno 1632, in libello de Arte nova, Hildeſhæmenſem typographum nacto, petii id prolixè, & quidem ab eodem Horneio, & collega ejus, Georgio Calixto? An verò non Horneius tacet plane, & quidem nonum jam annum? Annon Calixtus Digreſſionem quidem contra meum libellum edidit Anno 1634, ſed, faſtu verè Lutherano, (ob quem iterum ei Navem Kaiſerſpergii in vehiculum aſſignant Catholici aliqui,) penitus negavit, operam ſe daturum, ut me textu Scripturæ vel minimo in ſuas pertrahat partes? Annon Colonienſium potius academicos ad ſolennem diſputationem provocavit? (quanquam ita putidè, ut non ſolum, ruditatem paſſim ſuam animique impotentiam prodens, reſponſo indignum ſe fecerit, ſed neque Collegio ibi Theologorum, licet ſeptimus jam elabatur annus, ſcriptum illud ſuum tradi curaverit; prout quidem tum ex aliis ante intellexeram, tum adhuc recens mihi Coloniâ ſcribitur ab eccleſiaſticorum nonnemine, his verbis: *Calixti opuſculum ſacrâ Facultati Theologicæ nunquam oblatum eſt*; qui meus amicus, cum deinde retuliſſet, exempla opuſculi ejus duo perveniſſe antehac illuc, & alterum quidem ad manus denique ſuas, ita pergit: *Ego Doctoribus, quid mihi de libri & auctoris genio videretur, breviter expoſui: qui, ſibi de utroque nil conſtare, ſed nec debitè quidquam de ignoto hoc libro inſinuatum, uno ore reſponderunt omnes: itaque cum nemo, Calixti nomine, negotium iſtud ageret, in fumum omnino abiit*. Sic, inquam, ille: qui allegare pariter potuiſſet, neque indicium opuſculi ejus factum in Catalogo Francofurtenſi ullo: ſine quo Coloniæ rariſſimè innoteſcunt libri ejuſmodi prohibiti.) Annon & evulgavi ego Anno 1640, contra Calixti Digreſſionem illam, Apologeticum, à diverſis Theologis, tum Lovanienſibus, tum etiam Colonienſibus, appobatum, quin & à quibuſdam, qui noſtri non

ſunt,

ſunt, tum aliis, tum Saxoniæ inferæ Iuriſconſultis, collaudatum, ubi petitionem eandem itero, ſermone adhuc penetrantiore? Annon deſignavi ibi quoque ipſis theſium Eccleſiæ noſtræ negativarum (ut vulgari more loquar,) duas; unam de non præcepta à Chriſto univerſaliter ſumtione calicis euchariſtici; alteram de non ducenda uxore, dum in vivis ea quæ dimiſſa ab adulterium; quarum priori opponere ſolent argumentum hoc; Chriſtus dixit Apoſtolis, *Bibite ex hoc omnes*, Ergo voluit, ut quivis etiam alius idem neceſſariò faceret; poſteriori autem illud, Chriſtus dixit, *Quicunque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, Ergo mens ejus fuit, Quicunque dimiſerit uxorem, ob ejus fornicationem, & aliam duxerit, eum non mœchari? Annon ſimul dixi, ſatis fore, ſi ſepoſito argumento poſteriore, (quod Richardus Mountacutius Anglus, licet hoſtis noſter longè quoque maximus, rejicit æquè ac nos, & nobiſcum in hoc negotio ſentit, prout alii itidem necdum Catholici facere in animum induxerunt,) conficiant ſaltem è priore (quod eſt Auguſtanæ Confeſſionis ipſiuſmet,) ſyllogiſmum unicum, ſed nobis undiquaque evidentem? (qualem fieri inde poſſe, & Lutherani interim plures, ex quo aperire cœperunt oculos, ultro negant.) Annon fruſtra hactenus iſta omnia, (nec enim vel tentat quiſquam talium, ſaltem eminus, aut exiguo generalique ſeu privatorum ſuorum ac noſtrorum nomina diſſimulante ſcripto, ex profeſſo ita probare Eccleſiæ noſtræ quidquam ex undiquaque conceſſis; niſi quod nonnulli, dialectices ignari, cartulas rationum, à ſe quidem ſed non item à nobis conceſſarum, felle amariſſimo interim ſtrenuè tinctas, miſerunt; quos ego ideo valere juſſi,) & mirantibus quidem eruditis nonnullis, qui, licet Lutherani non ſunt, Catholici tamen etiam non ſunt? Imo annon & Lutherani plures, non ſolum id mirantur pari modo, ſed & ſuſpicari occipiunt, (ex quo nempe propoſitas à nobis in Arte nova & Apologetico conditiones æquiſſimas non acceptari vident,) ſuos illos, à me ſic rogatos, cauſæ Lutheranæ diffidere, neque verò diſcordiæ finem quærere, imò querelis tantummodo,

Apologet. c. 11, 12, & 13.

Matt. 26, 27.

Matt. 19, 9.

Apologet. c. 17. Mountac. Orig. eccleſiaſt. in Anno Chriſti 33. num. 67.

& ſtomachationibus, & conviciis in Eccleſiam, (quam, per majores ſuos, injuria potius affecerunt priores, quippe nullam ante paſſi, imò ſpoliaverunt juriſdictionis ſpiritualis uſu & poſſeſſionibus longe plurimis maximiſque, ne minima quidem re ante ſpoliati, quia nempe ante in terris illis omnes Catholici, & ſic non ad ſe, verum ad Eccleſiam illam noſtram, iſta unice pertinere, tunc agnoſcentes,) aut quoque invectivis in Catholicos privatos, (ubi, ſemotis ejuſmodi perſonalibus, tractanda erant merè realia,) vel certe argumentationibus ex inconceſſis, delectari, & ſic (more majorum) nil niſi calumniatores & perſequutores Eccleſiæ noſtræ eſſe; indeque optant, auctoritate Principum ac Rerumpubl. Proteſtantium omnium (quorum conſenſus quidni facilius etiam procurari poſſit, quàm procuratur, quando manu armata dimicare geſtiunt contra Catholicos?) cogi eoſdem ad modeſtè argumentandum, ſaltem ſemel, adverſus Eccleſiam, ſed ex merè conceſſis & per conſequentiam conceſſam; imò ad argumentandum ſaltem in prima figura (propter alios nempe, quibus ſecunda aut tertia earumve reductio obſcurior, æquè ac forma ſyllogiſmorum indirectè concludentium;) & ad argumentandum ea quidem conditione, ut cuivis exiſtimandi ſint cauſâ cecidiſſe, ſi vel unicum ibi inconceſſum à nobis monſtretur; vel equidem ad profitendum apertiſſimè coram Deo & hominibus, (quod nec diffitentur jam aliqui privatim,) non poſſe à ſeſe convinci Eccleſiam noſtram Catholicam in fide ullibi è conceſſo ullo? Sic, inquam, iſti, haud ignoti profecto mihi pluribuſque: muſſitantibus interim quidem adhuc pauculis aliis: Quid ſi verò Nihuſius conſequentiam ſit negaturus? quum enim Ariſtoteles ipſe non ſatisfaciat ei, ſaltem in Modalibus, quomodo ſcire ante poſſumus, quænam ipſi argumentationis forma probetur vel improbetur? Qui ne tergiverſandi hîc jam habeant cauſam, ecce F A C U L A M hanc, non minus ipſis, quam Horneio, in phoſphorum. De quo meo ſcripto, per me licet, audiant quoque judicium Ioannis Scharfii, qui è ditione Halberſtadienſi, juxta cum parente meo, oriundus,

Pro-

Profeſſorem nunc Logices agit in academia Witebergenſi. Adſtipulabitur enim is mihi hîc in omnibus ; ut ſpero. Sed quia vidi , quæ de officio Reſpondentis & Opponentis ipſe quoque ſcripſit Anno 1635 , velim, auctores ei unà ſint, ut meum Apologeticum legat, utpote eandem rem illic non paulò ſolidius, quam à ſeſe, aut ab Ariſtotele etiam , ejuſdemve ſectatoribus aliis, pertractatam inventurus.

Scripſi menſe Maio 1641.

MO-

MONITVM,

Andabatæ Helmſtetenſi nuntiandum.

QVum Georgius Calixtus, in Digreſſione de Arte nova mea, inter alia adſeverare contra Lipſium auſus fuerit, Leges Iuſtinianéas in Imperium occidentale introductas, non Lotharii Saxonis, ſed, ante eum, Comitiſſa Mathildis auctoritate: non ſolum opinionem ipſius iſtam, pervulgata doctorum hominum ſententia adverſam, refutavi in Apologetici mei Corollario; verùm & conſului poſtmodum ſuper illa re Iuriſconſultos atque hiſtoricos eruditiſſimos plurimos, non Catholicos tantum, ſed alios quoque: qui, meram eam Calixti temeritatem eſſe, pronuntiant uno ore omnes. Quod alibi forſan pluribus palam facturus, nunc, ne carta hujus quidquam remaneat vacuum, occaſionem ſaltem Herneio do, monendi collegam iſtum ſuum, ut errorem hunc, quia revera nimis indignum eo qui Profeſſor academia Helmſtetenſis primarius conſalutari amat, quantocyus fateatur ingenuè, depreceturque ſcripto publico, antequam confundatur ab aliis adhuc amplius. Lovanienſes certè, & Lipſio, memoria laudatiſſimæ viro, quondam familiariſſimi, & ipſi merito ſuo celeberrimi, judicant, ut hîc videre eſt.

INfra ſcriptus I. V. Licentiatus, Concilii Brabantiæ Advocatus, propoſitam mihi quæſtionem, *An Lotharius Saxo, Imperator, Ius Iuſtinianæum in haſce Occidentis Imperii partes primus introduxerit*, accurate examinavi; & cum Ampliſſimo Domino Erycio Puteano, Conſiliario & Hiſtoriographo regio, Clariſſimo Domino Cornelio de Pape, Collegii Doctorum V. I. Priore, & Clariſſimo Domino Valerio Andrea, I. V. Doctore, eandem quæſtionem contuli. Qui omnes uno ore affirmarunt, Irnerium primò in Italia Ius Romanum Iuſtinianæum, tempore & juſſu prædicti Lotharii, explicaſſe; quorum aſſertioni conformis eſt hiſtoricorum, ea de re ſcribentium, fides, Forſteri præcipuè, in hiſtoria ſua Iuris Romani lib. 3. cap. (ni fallor) 7; adeoque Lipſium, in Monitis ſuis & Exemplis politicis, introductio-

ductionem Iuris Iuſtinianæi in haſce Occidentis Imperii partes, rectè Lothario adſcripſiſſe. Qua de cauſa Corollarium Apologetici Bartoldi Nihuſii firmo, imò optimo, nititur fundamento. In quorum fidem, requiſitus, præſens ſubſignavi, 28 Iunii 1640.

H. Boyens.

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google

P*Ag*. 10; *lineâ, quæ eſt quinta ante ultimam, pro* Occurrunt quippe multoties ibi quaſiprædicata, *lege*, Occurrunt quippe multoties ibi, non ſolum prædicata ſubjecti unius diverſa, conjunctivarum aut diſiunctivarum particularum ligamine prædicatum unum facientia, ſed & quaſiprædicata

Pro pagina 25 *lineâ ante ultimam quartâ hac*, figuræ illationibus nonnullis. Quicquid ſit, (ſaltem ego; *lege*, figuræ illationibus nonnullis. Quanquam, ſicuti hîc medium fuit negatum in ſolâ Majore, ita negatum ſit in ſola Minore, ſi dicas, (brevitatis ergo, forma informi utens,) *Quicquid eſt animal, non eſt lapis, Quicquid non eſt animal, non eſt homo, Ergo quicquid eſt homo, non eſt lapis*. & ſicuti, tam in hoc noſtro, quàm in præcedente Scoti illo, præmiſſarum utraque fuit prædicati negati, ita earum altera eſt prædicati affirmati, tum in hoc, *Quicquid non eſt homo, non eſt animal rationale, Quicquid eſt homo, eſt ſubſtantia, Ergo quicquid non eſt ſubſtantia, non eſt animal rationale*, tum in iſto, *Quicquid eſt homo, eſt ſubſtantia, Quicquid non eſt homo, non eſt animal rationale, Ergo quicquid eſt animal rationale, eſt ſubſtantia*. imò & utraque præmiſſarum poteſt eſſe prædicati affirmati; ut cum dicam, *Quicquid non eſt ens, eſt nihil, Quicquid eſt ens, eſt aliquid, Ergo quicquid non eſt aliquid, eſt nihil*; item, *Quicquid eſt ens, eſt aliquid, Quicquid non eſt ens, eſt nihil, Ergo quicquid non eſt nihil, eſt aliquid*. convertatur enim & in quinque hiſce ubique Minor per contrapoſitionem, & illationes itidem erunt optimæ in primâ. quod ſi verò per contrapoſitionem convertere præmiſſam ſimul utramque placuerit in omnibus illis hucuſque datis ſyllogiſmis ſex, erunt omnes in ſecundâ. Quicquid ſit, (ſaltem ego

Pag. 27. *lin*. 23. *poſt ultima ibi verba*, haud eſſe. *ſubjice*, De ſyllogiſmis verò primæ figuræ, quos indirectos vocant, conſultò nihil peculiare tradidi. F [redacted] conclusionem [redacted] quam indirectam vocant, non exiſtimo ſequi ex præmiſſis, quia illæ ita poſitæ, ſed ſolum ex concluſione directâ, vi regulæ converſionis. Vnde

patet, adhuc minùs opus eſſe ſyllogiſmis in ſecunda ac tertia, ubi pari modo, non concluſio genuina infertur, ſed hujus convertens, tantùm quia eſt hujus convertens. Quorſum id verò? Vt, occaſione iſthac, eorum, qui præditi ingenio, explorem judicia de hoc quod mihi in mentem venit, fruſtra eſſe ſyllogiſmos tertiæ figuræ, ubi Major particularis, & Minor univerſalis; velut in vulgò dictis Diſamis & Bocardo. Ratio mea eſt: quia poſitis præmiſſis hiſce, (voculas formales, brevitatis gratia, iterum nunc omittam,) *Quidam homo eſt animal; Omnis homo eſt ſubſtantia,* arbitror ego inferendum eſſe, *Ergo quoddam animal eſt ſubſtantia*; non verò niſi ex hac demum concluſione, per converſionem, ſequi eam, quæ Ariſtotelicis cenſita concluſio genuina, *Ergo quoddam quod eſt ſubſtantia, eſt animal*: qui homines non videntur attendere, ſicuti in primæ figuræ hoc, *Quidam homo eſt animal, Omne animal eſt ſubſtantia, Ergo quidam homo eſt ſubſtantia,* poſitus præmiſſarum præpoſterus, ita & in tertiæ iſto Majorem non eſſe Majorem ſed Minorem, & Minorem non eſſe Minorem ſed Majorem; quum nempe illa ſit particularis, hæc univerſalis; atque ita Diſamis revera eſſe modum eundem cum Datiſi, & inferre concluſionem, quam ego dedi; ex qua demum ſolâ alteram illam Ariſtotelicam elicere per converſionem licet; imò & Bocardo, eâdem de cauſa, coincidere cum eodem Datiſi, (ex quo nempe negativæ Ariſtotelicæ nobis affirmativæ negati ſolùm prædicati.) Hanc, inquam, rationem noſtram conſiderari velim. Cui tamen accedunt & adhuc aliæ duæ. Quæro enim ex Ariſtotelicis, cur non & in ſecunda admittant ſyllogiſmos, ubi Major itidem particularis & Minor univerſalis, tales nimirum qualis eſt hic, *Quoddam animal eſt doctum, Quicquid eſt aſinus, non eſt doctum, Ergo quoddam animal non eſt aſinus*, vel, *Ergo quoddam quod non eſt aſinus, eſt animal*; cujuſmodi profectò argumentationes æquè ex veris verum colligunt ſemper, atque illæ in Diſamis & Bocardo? Dicent omnes; non eſſe iis opus; quia perinde ſit ac ſi præmiſſarum poſterior poſita foret priore loco, & prior poſteriore, & ſic ſyllogiſmus in Feſtino eſſet, inferens concluſionem illam priorem, ex

qua

Digitized by Google

qua ſola dein per converſionem ſequatur poſterior. Et rectè ſic dicent; cæteroquin videlicet fateri debentes, quatuor ſuis modis in ſecunda addendos duos adhuc alios, perinde atque in tertia quatuor illis, Darapti, Felapton, Datiſi, & Feriſon, duos adjiciunt, ubi præmiſſarum prior particularis, Diſamis nempe & Bocardo. Quidni itaque & hi ipſi duo modi, eadem de cauſa, planè rejiciantur è tertia figura, quomodo diximus? Hoc unum eſt. Quæro nunc ſecundò, cur non admittant etiam ſeu recenſeant ſyllogiſmos ſecundæ ac tertiæ, ubi præmiſſarum utraque univerſalis, & ſubjectum concluſionis in earum priore, & prædicatum in poſteriore; ut ſunt hi; in ſecunda quidem, *Quicquid eſt homo eſt animal, Quicquid eſt ſtipes, non eſt animal, Ergo quicquid eſt homo, non eſt ſtipes*; in tertia verò, *Quicquid eſt homo, eſt animal, Quicquid eſt homo, eſt ſubſtantia, Ergo quoddam quod eſt animal, eſt ſubſtantia*; item, (ſi & hunc in tertia extraordinarium addere placet,) *Quicquid eſt animal, eſt ſubſtantia, Quicquid non eſt animal, non eſt homo, Ergo quicquid non eſt ſubſtantia, non eſt homo*: in quibus concluſio, non ſolius converſionis vi, quâ ex concluſione ſolita, ſeu alterâ illâ magis genuinâ, deducitur, ſed forſan etiam quia præmiſſæ ex ſic poſitæ, nunquam non vera eſt, ubi illæ veræ fuerint. Dicent omnes, & rectè dicent; inde id eſſe, quia nemo iis indigeat, quandoquidem prior in illis præmiſſa mentiatur Majorem quam ſit Minor, & poſterior ſimiliter Minorem quam ſit Major, indeque pertineant ad modos, ubi ſubjectum concluſionis, tanquam extremum minus, reperiri debet in Minore, & prædicatum ejuſdem, tanquam extremum majus, in Majore. Atqui, me judice, eadem prorſus ratio in ipſorum Diſamis & Bocardo: imò ibi inſuper concluſio, quam inferunt, ne quidem ſequitur ita ſimul ex præmiſſis, ſed ex concluſione tantummodo, quam nos dedimus: quanto magis itaque dicere idem tenentur de hiſce? Qui equidem quia ſuperflui idcirco ſunt modi, ſi non planè quoque ſpurii, hinc ita, præ tertiæ figuræ modis cæteris, ipſorum ad primam reductio anfractuoſa multum ac tetrica, ſeu difficilis; prout ſupra vidimus: imò hinc *num* 14.

etiam in diſputationibus nunquam occurrunt; quod meminerim quidem. De his, inquam, theorematis meis aveo cognoſcere ſententias eorum, qui verſati in fundo putei logici nonnihil, (qui ſine dubio necdum exantlatus à quoquam totus;) etiam Conradi Horneii, & ſimilium. Quibus & plura forſan proponere poſſem, ad obſervationes hucuſque noſtras amplificandas exornandaſque facientia: ſed paucula hæc jam quidem ſufficiant.

Corrigenda.

Pag. 1. *in libelli titulo, lin.* 10. *poſt* Helmſtetenſem *dele diſtinctionem finalem. Pag.* 5. *ad lin.* 15. *in margine incipiat, quod ibi eſt, marginale. Pag.* 25. *lin.* 10. *deleatur parentheſis tota qua ibi eſt. Pag.* 26. *infra in margine lege*, Conimbr. in 1. prior. *Pag.* 42. *marginale, quod incipit ad lineam* 6, *incipiat ad lineam* 5. *Pag.* 43. *prius marginale incipiat, paulo inferius, ad lineam qua eſt paragraphi* 31 *antepenultima. Ibid. marginale poſterius incipiat ad lineam pagina ultimam. Pag.* 48. *pro* quod, *quod. Pag.* 52. *linea quinta ab ultima, pro* à doctore *lege* ab alterius doctore *Pag.* 56. *lin.* 16. *pro* patiter *lege* pariter. *Pag.* 58. *lin.* 28. *pro* ſyllogiſmos dari imperfectos. *lege* ſyllogiſmos ejuſmodi directos dari, qui ſint imperfecti. *Pag.* 60. *lin.* 1. *pro* aut ita deſidem, ut intendere tantiſper mentis oculos pigeat, *lege*, aut ita alienum, ut intendere mentis oculos penitus nolit.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google